GUIDI ANGELI POGGII

I. C.

CASSIANENSIS AD VITIM

ELEMENTA

IURISPRUDENTIAE CRIMINALIS

LIBER QUINTUS ET ULTIMUS

Custode rerum CAESARE *, non furor*
Civilis, non vis eximet otium.

Horat.

FLORENTIAE M. DCCC. XIX.

In Archiepiscopali Typographia
ad Crucem Rubram.
Superiorum permissu.
Prostant apud Franciscum Alexandri
q. Michaelis.

Qui ratione punire aggreditur, non praeteriti sceleris causa punit; neque enim assequi potest, ut quod est factum sit infectum; sed futurum respicit, ne iterum aut ipse, aut alius quilibet exemplo ejus adductus delinquat.

Plat. Protagor.

. . . . Diis proximus ille,
Quem ratio, non ira movet, qui facta rependens
Consilio punire potest. . . . .

Claudian. de Consulat. Mall.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 55. lin. 22. Provocar	Provocat
62. 24. *athlarus*	*athletas*
65. 11. foemiuas	foeminas
76. 24. avieuia	avicula
89. 6 16.	56

Alia insuper errata praecedentium Librorum.

L I B. I.

1. 6. delictnm	delictum
3 30. eux-meme, sont assez puni	eux-memes, sont assez punis
4. 32. ectat	eclat
5. 29. ipsnm	ipsum
33. 18. cui	ad quem *
63. 33. emergat. non tamen veluti eonfessus	emergat, non tamen veluti confessus

L I B. II.

9. 30. *Lib.* 3.	*Lib.* 4.
14 29. *Harmenopol.*	*Harmenopul.*
46 27. *Philosphic.*	*Philosophic.*
75. 20. *traasigere*	*transigere*

L I B. III.

62. 28. *jar.*	*jur.*
77 20. audendum illas	audendum paratas, illas
99. 17. prefecto	profecto

L I B. IV.

16 26.	priscatui	piscatui
28. 23.	Haec	Ea
111. 17.	2. 5. 9.	2. §. 9.

* Et sic lege deinceps, ubi occurrat, ne casui, quem dicunt commodi, aut incommodi, nimis indulsisse videar.

Siqua adhuc supersint, sapiens Lector emendabit.

ELEMENTA

JURISPRUDENTIAE CRIMINALIS

LIBER V. ET ULTIMUS.

De Delictis, quae ad Civium existimationem, et famam referuntur.

§. 1. Pari cum vita passu, ut *Heineccius* ait (1), ambulare videtur existimatio Civium, itemque honor, et fama: Praestans bonum istud, quod simplex aliud, intensum dicitur aliud, nemo est, qui non appetat; illud quidem ab incunabulis nactum servamus integritate morum, consequimur alterum praeclaris gestis, ac meritis, quae gloriam, et nomen concilient Nobis, duraturum etiam post cineres. Porro moralem hunc sensum ab ipsa Natura magis (2), quam ab amore sui, ut placet quibusdam, repetendum esse, ingenitum quodammodo suadet in improbita-

(1) *Praelect. ad Pufendorf. de offic. Hom. et Civ. lib. 2. cap. 14. §. 1.*

(2) *Lampred. Iur. public. universal. part. 1. cap. 6. §. 8.*

tem odium, atque horror, quo improbi ipsi se exagitari continuo sentiunt (3).

II. Sed quomodocunque sit, nosse unusquisque potest, quantopere intersit Reipublicae hunc sensum fovere, ac tueri (4): Cum itaque singula quaeque delicta, queis detrimentum allatum fuisset Civium bonis ad eorum vitae conservationem spectantibus superiore libro persecuti fuerimus, operae est pretium illa nunc persequi, quibus alterum hoc eorum bonum in discrimen adducitur.

III. Postrema haec igitur nostri laboris pars delicta huc spectantia insectabitur, adulterium videlicet, stuprum, raptum, incestum, venerem aversam, lenocinium, injurias denique omnes in Civium dedecus, quo ipse pertinet libellus famosus.

CAPUT I.

De Adulterio.

IV. Concubitus cum alterius Uxore adulterium dicitur, proprietate nominis ex eo ducta, quod alter ad alteram, vel ad alterius

(3) Ad rem *Iuvenal. sat.* 13.
Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet auctori: Prima est haec ultio, quod se
Iudice nemo nocens absolvitur . . . .
Vid. *Cic. de finibus lib.* 1. *cap.* 16.

(4) *De Simon. de delict. mer. affect. part.* 2. *cap.* 9. §. 6.

torum se conferat (1). Crimen hoc Juri naturali adversum esse nec minimum quidem dubitandum videtur (2): Cum enim prima societas, quam Natura praecepit, in ipso conjugio sit, ut *Cicero* ait (3), proxima in liberis, quorum educationem aeque utrique Parenti mandavit, mutua haec obligatio nequaquam profecto impleretur, altero eorum ex venere vulgivaga incerto; huc illud accedit, quod foemina concumbens cum pluribus difficiliter concipit, ideoque Naturae injuria frustraretur finem conjugii (4). Uxorum igitur communio, quam olim quasdam apud Gentes in more fuisse legimus, non nisi Naturae degeneri tribui potest (5), quemadmodum

(1) *Papinian. in leg. inter liberas ff. ad leg. Iul. de adulteriis, et stupro*, et ibi *Gloss.*, *Boehemer. elem. jurisprud. crim. sect.* 2. *cap.* 25. §. 270., *Renazz. elem. jur. crim. lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 3. §. 1. *not.* 1, *Paolett. instit. crim. lib.* 6. *tit.* 1.

(2) *Ulpian. in leg. probrum ff. de verbor. significat.*

(3) *De officiis lib.* 1. *cap.* 17.

(4) *Lampred. d. part.* 1. *cap.* 16. §. 2. *n.* 1. *et* 4.; Hinc *Horat. art. poetic.*

. . . . fuit haec sapientia quondam,
Concubitu prohibere vago, dare jura Maritis.

(5) Vid. *Pufendorf. de jure Nat. et Gent. lib.* 6. *cap.* 1. §. 15.; idem dicendum de sponsam devirginandi jure, quod apud Scotos erat Regis, aut Nobilium; Sacerdotum alibi; Convivarum nunc etiam alibi *id. Pufendorf.* §. 10., *Barbeyrac. discours sur le benefic. des loix not.* 10. 11. 12.

fi lsae politicae *Platonis* (6), nec non *Lycurgi* hac de re sententia (7), ipsiusque etiam *Socratis*, quem Uxorem *Xantippen* amicis commodasse tradunt, cujus fortasse exemplo suam *Hortensio* commodare non dubitavit *Cato* minor, nec alii pariter inter Romanos, ut refert *Plutarchus* (8).

V. Verum non sicut Virorum pluralitas, ita quoque et Uxorum, graece Πολυγαμία, Naturae Iuri saltem absoluto adversatur, cum idem Pater, tametsi pluribus junctus, connubii officia absolvere nihilominus possit, procreationem videlicet sobolis, ejusque educationem: Et sane apud Hebraeos hanc pluralitatem Uxorum in more fuisse, Deo permittente, notum est satis; qui mos inter Populos a vera Religione aberrantes etiamnum viget: Rectius tamen monogamiam Naturae congruere, quae parem fere utriusque sexus numerum edit, fatendum est (9); ita quip-

(6) *De Republic. dialog.* 5.

(7) Hujus doctrinae repugnantiam sapienter ostendit *Aristot. de Republic. lib.* 2 *cap.* 2.

(8) In vita *Lycurgi*, *Numae*, et *Catonis*. Quod *Catonem* commendare *Baylius* non erubuerit, nil mirum; hujus enim aliunde errores perspecti sunt satis, ut notat *De Simon.d. part.* 2. *cap.* 8. §. 3.

(9) *Lampred. d. cap.* 16. §. 2. *n.* 8.: Ita quoque par fere utriusque sexus numerus eorum est, qui, ut ipse ait ,, Divina consilia sequuti caelibem eligunt vitam, ut diligentius, et expeditius Sacerdotalibus Officiis, et Religioni va-

pe connubii officia, obligationes, affectus aequiparantur utrinque, ideoque haec maris, et foeminae societas, quae matrimonium dicitur, praestantiorem perfectionem nanciscitur, eamque reapse, et quidem indissolubilem, Lex Evangelica sanxit, ac dignitate Sacramenti honoravit (10).

VI. Cum itaque et sanctum, et indissolubile hoc vinculum sit, cumque unusquisque ex conjugibus in corpus alterius privativum jus habeat (11), ita quidem, ut duo sint in carne una (12), propterea Jus canonicum aeque adulterium committi statuit, sive cum altero Uxor, sive Maritus cum altera, innupta licet, concumbat, fidemque conjugalem violet (13): Id ipsum Theologi sentiunt; quin et ipse *Plautus*, utcunque ethnicus, hanc mutuam jurium aequalitatem et congruentem, et justam praedicaverat jampridem (14); neque adeo fortasse impudens *Juvenalis* aetate fuisset Uxorum licentia, pariterque procacitas, nisi ipsi Mariti in earum peccatis (ea-

„ care possint, ex qua innumera in Rempubli-
„ cam bona derivantur „

(10) *D. Matth. cap. 19. v. 6., D. Paul. ad Ephesios cap. 5. v. 32.*

(11) *D. Paul. ad Corinthios epist. 1. cap. 7. v. 4.*

(12) *D. Matth. d. cap. 19. v. 5.*

(13) *Can. nemo quaest. 4., can. non moechaberis quaest. 5. caus. 32.*

(14) *In mercator. act. 4. scen. 8.*

Nam Uxor contenta est, quae bona est, uno Viro,

dem quippe peccantes) connivissent quodammodo (15).

VII. Aliter tamen, ac Jus canonicum, civile Jus Romanorum decrevit fere ubicunque hac in parte receptum, quemadmodum et apud Nos: Nam ad Maritum peccantem quod attinet, non aeque, ut in Uxorem, adversus eum actionem titulo adulterii concessit (16): Quod autem *Ulpianus* dixerat periniquum videri „ ut pudicitiam Vir ab Uxore exigat, „ quam ipse non exhibeat „ (17), ad lenocinia Mariti refertur solummodo, propter quae poenae subjicitur, neque cum ipsius peccatis Uxoris compensantur peccata (18). Ratio porro disparilitatis inter eadem peccata Conjugum, prae caeteris, quas *Montesquieus* (19), atque alii pariter afferunt, ea potissima est, quae prolem spectat; ex peccato enim Uxoris incerta redditur conditio Patris, ideoque Maritus filios quandoque non suos et alere cogitur nescius, et ad successionem vocare. Proinde, ut poena adulterio statuta sibi vin-

Qui minus Vir una Uxore contentus siet?

(15) *Iuvenal. sat.* 6.

. . . . olim convenerat, inquit,
Ut faceres tu, quod velles, necnon ego possem
Indulgere mihi; clames licet, et mare caelo
Confundas; Homo sum . . . .

(16) *Leg.* I. *Cod. ad leg. Iul. de adulteriis.*

(17) *In leg. si Uxor §. Iudex ff. eod.*

(18) Legg. *ad Matth. lib.* 48. *ff. tit.* 3. *cap.* I. *n.* 12.

(19) *Esprit des loix livr.* 26. *chap.* 8.

dicet locum, copulae perfectionem Tribunalia nostra requirunt (20); hac deficiente, Patris incerti periculum cessat, quod quidem periculum patria Lex nominatim persequitur (21): Sed quoniam ex ipso quoque conatu gravis injuria Marito infertur, gravissima autem, ubi ad extremum perductus fuerit actum (22), hinc juxta ipsius proximitatem plus, minusve plectetur, ita porro, ut unico solum gradu, mea quidem sententia, ab adulterii poena sit recedendum, ubi nil aliud desit, quam consummatio (23); neque haec ex indiciis, utcunque urgentibus, satis unquam probata dicitur, ubi Accusati eam perfecisse negent concorditer (24).

VIII. Sed quamvis, ut apud Romanos, ita apud Nos Maritus peccans cum solutis, et liberis adulterii argui nequeat, non ideo dis-

(20) *Ad text. in leg.* I. §. *final. ff. de extraordinariis criminibus Paolett. d. lib.* 6. *tit.* I.

(21) Lat. 30. *August.* 1795 §. 20.

(22) *Gloss. in leg. Caii Cassii ff. de fideicommissariis libertatibus.*

(23) Doctores non desunt, qui aliter sentiunt, quos inter *Matth. ad lib.* 48. *ff. tit.* 3. *cap.* 2. *n.* 10., qui Moechum concutientem jam polluisse notat, *Creman. de jur. crim. lib.* 2. *cap.* 6. *artic.* 3. §. 11. Vid. *Boehmer. d. cap.* 25. §. 274.: Cujuscunque eorum rationes sint ponderis, contraria sententia praevaluit jam; et sane de consummatione nuper citata Lex patria loquitur §. 22.; Vid. *Carpzov. pract crim. quaest.* 61. *n.* 8.

(24) *Ciazz. discept. crim.* 3. *n.* 89. 46., *Mascard. de probat. conclus.* 57. *n.* 4.

simulare licebit effraenem ipsius licentiam, quae semper mali exempli res est, et bonis adversa moribus. Quapropter nec pellicem ipsi, seu concubinam retinere permittitur, quam ante legem Juliam usque eo retinebat impudens, ut ne digito quidem illam contingere posset Uxor in Mariti manum conventa (25), quamque, toleratam etiam in posterum (26), denique in Oriente sustulit *Leo* Imperator (27), nec in caetera peccare id generis, ex quibus honestas publica, et mores in discrimen versentur; nam, ut ait *Horatius* (28), quid sine moribus leges vanae proficiunt? Apud Nos hodie pro peccatis hujusmodi Politia providet; ante *Codicem Leopoldinum* concubinatus actione publica vindicabatur (29): Uxori autem nunc quoque propter Mariti libidines petere divortium conceditur, ex quo tamen vinculum non dissolvitur (30);

(25) *Ex Catone Gell. noct. attic. lib.* 10. *cap.* 23.
(26) *Ad text in leg.* 3. *ff de concubinis Matth. Sanz. de re crim. controvers.* 58.
(27) *Constit.* 91.; Ad Regiones Occidentis quod attinet, multo post sublata fuit *Heinecc. antiq. Rom. lib.* 1. *append. cap.* 1 §. 43.
(28) *Carm. lib.* 3. *od.* 24.
(29) Vid. *Sabell. in summ.* §. *concubina n.* 3., *Sanfelic. decis.* 245., *Menoch. de arbit. cas.* 289. *n.* 18., *Angel. de delict. part.* 1. *cap.* 28., qui sub n. 7. proprii concubinatus requisita affert.
(30) *Leg.* 1. *Cod. ad leg. Jul. de adulteriis, Gravin. de orig. Juris lib.* 3. *cap.* 86., *Renazz. d. cap.*

diversi enim generis sunt causae, ex quibus etiam inter Nos matrimonium dirimitur.

IX. Quod si Maritus non pellicis nomine, sed Uxoris alteram superinducat, matrimonium videlicet cum ipsa contrahat, tunc multo ipse quidem gravius peccabit, nec tamen cum libera contrahens adulterii argui poterit, sed criminis actione publica vindicandi, quod ex graeco digamiam dicunt, quodque sic definitur a *Boehmero* (31) „ matri„ monium, conjuge superstite, sub consue„ tis ritibus, et conjunctione carnali dolo „ malo consummatum „; atque haec definitio aeque ut Marito, sive innuptam, seu nuptam ducat, accommodatur Uxori, quae simili modo se alteri jungat: Ubi Maritus cum libera contrahat nodi prioris inscia, digamia consideratur ut stuprum (32) duplici qualitate gravatum; innocentem etenim prodidit, et Sacramento abusus est Ministros Ecclesiae ficto caelibatu decipiens (33): Ubi cum nupta, et digamiae simul, et adulterii actione tenebitur, statim atque plene perfecerit copulam (34): Nupta tenebitur pariter, sive connubio astrictum, sive solutum superinducat.

3. §. 13.; Vid. *Cornel. a Lapid. in D. Matth. cap.* 19. *v.* 9.

(31) *D. sect.* 2. *cap.* 27. §. 291.

(32) *Leg. eum qui duas Cod. eod.*, *Matth. d. tit.* 3. *cap* 1. n. 13.

(33) *Matth. d. tit.* 3. *cap.* 7. *n.* 8.

(34) *Farin. quaest.* 140. *n.* 31., et ibi *Vulpin. num.* 4.

Dolus porro juxta definitionem requiritur; ideoque, si Conjux absentem Conjugem ex justis rationibus periisse crediderit, cessabit actio (35), quemadmodum adversus eum actio adulterii cessabit, qui nuptae se junxit, quam innuptam constanter putabat: Contra autem innuptae impune non erit contraxisse cum eo, quem alteri junctum sciebat.

X. Adulterii pariter cessabit actio, ubi, sicut alibi dixi (36), insuperabilis error deceperit Conjugem, ita quippe, ut poena decipientem solummodo maneat (37): Poenam ille quoque adulterio statutam evadet, qui nuptam extra lupanar compresserit, quam innuptam putabat; nec autem prorsus excusandum existimo propter actum illicitum, quod secus, si in lupanari prostantem, ubi Lex actum, utcunque non probet, tolerat tamen, atque impunitum relinquit (38): Quin et in ipsam pariter actio adulterii cessabit,

(35) *Authentic. hodie Cod. de repudiis.*

(36) *Lib.* 1. *cap.* 1. §. 14.

(37) *Matth. d. tit.* 3. *cap.* 2. *n.* 5.

(38) Vid. *Barbeyrac. discours sur la permission des Loix, Carpzov. d. quest.* 61 *n.* 42. Concubitum cum hujusmodi foeminis venerem tutam, et furta concessa vocat *Ovid. de art. amand. lib.* 1.

Este procul vittae tenues, insigne pudoris;
Quaeque tegis medios, instita longa, pedes:
Nos Venerem tutam, concessaque furta canemus,
Inque meo nullum carmine crimen erit.

quatenus deserto jamdudum Marito meretriciam duxerit vitam; quod, si non deseruit, luxuriae licet indulgens interdum se prostituerit, adulterium objici posse pluries decisum apud Nos legimus, mitius tametsi coercendum; atque ita cum *Ulpiani* responso (39) conciliari posse videtur posterius Imperatorum *Diocletiani*, et *Maximiani* rescriptum (40), ut notat *Paolettus* (41); neque enim sua cuique impudicitia prodesse debet: Eo quidem tendit S. C. a *Papiniano* relatum (42), et Legi Iuliae adjectum, quatenus adulterii actionem institui posse in mulieres statuit, quae in fraudem ipsius Legis, matronali stola deposita, inter vulgares meretricio more se libidinibus contaminabant (43).

XI. Etiam cum sponsa alterius concumbere

(39) *In leg. si uxor ff. ad leg. Iul. de adulteriis* „ sed et in ea Uxore potest Maritus adulterium „ vindicare, quae vulgaris fuerit; quamvis, si „ vidua esset, impune in eam stuprum commit„ teretur. „

(40) *In leg.* 22. *Cod. eod.* „ Si ea, quae stupro „ tibi cognita est, passim venalem formam exhi„ buit, ac prostituta meretricio more vulgo se „ praebuit, adulterii crimen in ea cessat. „

(41) *D. tit.* 1.

(42) *In leg. mater §. mulier ff. eod.*

(43) Quod quidem sub *Tiberio* frequenter evenisse testantur *Sveton. in Tiber. cap.* 35., *Tacit. annal. lib.* 2. *cap.* 85., nec minus profecto foeda mulierum licentia fuit sub *Domitiano*, ut habemus a *Iuvenal. sat.* 6.

adulterium esse nonnulli contendunt (44) juxta ipsum *Severi*, et *Antonini* rescriptum (45), ideo quod nec matrimonium qualecunque, nec matrimonii spem violare sit licitum: Eorum tamen opinio generaliter hodie rejicitur (46); vetus enim jus illud jam immutatum fuisse videtur ex posteriori *Constantini* constitutione, quae adulterii actionem reformare instituens, non quidem de sponso, sed de Marito, et toro geniali nominatim loquitur (47); de Marito Lex patria pariter (48); ideoque apud Nos actionem hanc solum post matrimonium contractum competere non est ambigendum; hujus autem probatio ea potior habetur, quae ex Parochi libris elicitur (49), quanquam his

(44) Vid. *Matth. d. tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 9.

(45) *In d. leg. si Uxor §. Divus §. minor ff. eod.*

(46) *Bald. in leg. propter Cod. eod.*, *Gomez. commentar. in leg. Taur.* 80. *n.* 47., *Clar. §. adulterium n.* 7., *Covaruv. in lib.* 4. *Decretal. cap.* 1. *n.* 8., *Sanchez. de matrim. lib.* 1. *disput.* 2. *n.* 2., *Creman. d. artic.* 3. §. 4. *et alii*.

(47) *In leg. quamvis adulterii Cod. eod.*

(48) *Cod. Leopold.* §. 3.

(49) *Paolett. loc. cit.* Iuxta Tridentinum Concilium *sess.* 24. *cap.* 1. ad matrimonium contrahendum Parochi, et duplicis praesentia testis requiritur; quod tumultuarium contrahitur, testibus ex improviso apud eum arcessitis, nec caeteris Ecclesiae servatis ritibus, validum utcunque, coercitionem tamen meretur propter contemptum, et Ecclesiae rituum inobservantiam: Apud Nos Politia providet ex *Cod. Leopold.* §. 109.

deficientibus etiam aliunde comparari possit.

XII. Publica ex Romanorum jure actio adulterii fuerat, quam postea ad Maritum, et proximos *Constantinus* restrinxit (50); nunc autem soli Marito apud Nos competit (51), nisi qualitatibus crimen aliunde gravetur, quae publicam nunc etiam vindictam requirant: Publice sane vindicandum erit, quoties ipse Maritus infami lenocinio Uxorem suam prostituerit, aut illius peccata dolose dissimulaverit; tunc enim consideratio quaecunque cessat, qua caeteroquin vetitum „probatam Uxorem, et quiescens matrimonium „turbare, atque inquietare„ (52): Ita pariter cessat ex ipsa patria Lege, ubi per vim compressa fuerit Uxor; cum enim non ipsa, sed Moechus peccaverit, nihil de existimatione, et bono Uxoris nomine, plectendo Moechum, detrahitur. Praeter haec duo, nil aliud apud Nos hodie titulum praebet legitimum instituendae actionis de adulterio, ubi Maritus non instet, ita porro, ut sive cum digamia adulterium conjunctum sit, sive cum incestu, aut concubitu inter personas, quarum altera Christianam religionem profiteatur, altera non itidem (53), in haec quidem

(50) *In d. leg. quamvis*; caeteri enim, ut Imperator ait, proterve accusabant quandoque, et falsis contumeliis matrimonia deformabant.

(51) *Cod. Leopold.* § 3.

(52) *Ita Ulpianus in leg. constante ff. eod.*

(53) *Cod. Leopold.* §. 97.: Sub primis Ecclesiae

crimina ex officio inquirere liceat, utpote publica, nec autem, silente Marito, in adulterium; hoc tamen casu licentiam Uxorum compescere Politiae erit officium (54).

XIII. Peccatorum Uxoris Maritus olim et Judex, et Vindex fuerat apud Romanos, ut patet ex Lege, quam *Dionysius* refert (55), et *Romulo* tribuunt „ sei stuprum commisit, „ aliudve peccassit, Maritus Judex, et Vin„ dex estod „; neque de Uxore tantum supplicium sumere Maritus poterat ad mortem usque, sed de adultero pariter; quandoque tamen membra ipsa peccantia (56), vel proxi-

saeculis Christianis, atque Iudaeis simul connubio jungi permissum fuisse legimus, vel toleratum saltem ab Episcopis, ea quidem spe, ut fidelis infidelem ad sui religionem converteret; quae tamen connubia *Valentinianus* postea vetuit, itemque *Theodosius*, et *Arcadius*, ut patet *ex leg. nequis Cod. de Iudaeis, et Caelicolis*, et ibi *Brunnemann*: Quod de Iudaeis, hoc idem de Turcis, atque Ethnicis intelligendum *Farinac. quaest.* 139. *n.* 32., *Menoch. de arbit. cas.* 290. *n.* 18. *et seq.*, *Matth. d. tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 15., quos inter, et Christianos non dissimilis tolerantia fuerat *Gothofred. in Cod. Theodos. lib.* 3. *tit.* 14; Vid: *D. Paul. ad Corinth. d. epist.* 1. *cap.* 7. *v.* 12.

(54) *Paolett. instit. crim. lib.* 2. *tit.* 3., *et lib.* 6. *tit.* 1.; Vid. tamen *decis. anni* 1798. *in Florentina lenocinii contra Manettam.*

(55) *Hist. lib.* 2., *Gell. noct. attic. lib.* 10. *cap.* 23.

(56) *Horat. sat.* 2. *lib.* 1.

. . . . quin etiam illud

ma, innoxia nempe pro noxiis (57), poenam criminis dabant. Quid juris adhuc post Legem Juliam, quam tulit *Augustus*, Marito, sicut et Patri fuerit, ubi in ipso turpitudinis actu deprehendissent peccantes, notavimus alibi (58): Quaenam caeteroqui Legis Juliae fuerit poena, certant Interpretes; nonnulli enim capitalem contendunt; verius tamen alii, et quidem doctissimi, relegationem in insulam, quos inter *Matthaeus* (59), *Gravina* (60), *Schultingius* (61), *Noodt* (62) etc., argumento ex ipsis Romanorum Legibus ducto; atque haec poena reapse temporibus *Pauli*, duobus videlicet post Augustum saeculis, etiamdum vigebat, ut ipse idem *Paulus* testatur (63). *Constantinus* postea gladii poenam decrevit (64); hanc autem exaspera-

Accidit, ut quidam testes, caudamque salacem
Demeteret ferro . . . .
Martial. epigramm. 60. *lib.* 2.

Vae tibi, dum ludis, castrabere; jam mihi dices,
Non licet hoc, quid, tu quod facis, Hile, licet?

(57) *Juvenal. sat.* 10.

. . . . necat hic ferro, secat ille cruentis
Verberibus, quosdam Moechos et mugilis intrat.

(58) *Lib.* 3. *cap.* 3. §. 28. *not.* 33.

(59) *D. tit.* 3. *cap.* 2. *n.* 1.

(60) *D. cap.* 98.

(61) *Ad Jul. Paul. sentent. lib.* 2. *tit.* 26. *not.* 40.

(62) *Dioclet. et Maximian. cap.* 15.

(63) *Lib.* 2. *sentent. tit.* 26. §. 14.; hanc poenam, *Tiberio* imperante, subiisse *Vistiliam* refert *Tacit. annal. lib.* 2. *cap.* 85.

(64) *In d. leg. quamvis Cod. ad leg. Jul. de adulteriis.*

tam etiam fuisse parricidii instar a Successoribus Filiis, constat ex Codice Theodosiano, utcunque cito exoleverit (65): Neque porro ipsa gladii poena in Mulieres ultra *Justinianum* permansit, qui uxorius fortasse nimis (66) capitale supplicium adulteris indulsit foeminis, non tamen viris; eas itaque in Monasterium detrudi verberatas jussit, ibi perpetuo, dote, et bonis amissis, poenitentiam acturas, nisi Mariti, venia concessa, genialem in torum recepissent easdem intra biennium (67). Progressu temporis, silente jam Romanorum Jure, eo morum corruptio pervenit plerasque apud Gentes, ut levibus tantum pecuniariis inductis poenis (68) gloriae quasi haberetur peccasse, praesertim vero inter potentes, ut olim (69), ac divites: Tandem haec indul-

(65) *Gothofred. in Cod. Theodos. lib.* 11. *tit.* 36. *leg.* 4.
(66) *Bodin. de Republic. lib* 4. *cap.* 3., *De Simon. d. part.* 2. *cap.* 7. §. 1. Alii cum *Beza Iustiniani* indulgentiam Episcoporum suasionibus tribuunt, Redemptoris exemplo, qui de adultera foemina juxta *Moysis* Legem caedenda lapidibus simul cum Moecho *Levitic. cap.* 20. *v.* 10., *Deuteronom. cap.* 22. *v.* 22. 24., sententiam rogatus, dicere renuit *D. Ioann. cap.* 8. *v.* 11.
(67) *Authentic. sed hodie Cod. eod.*, *Novell.* 134. § *siquando*, *Legg. ad Matth. d tit.* 3. *cap.* 3. *n.* 3., *Harmenopul. prompt. jur. lib.* 6. *tit.* 2. §. 15.
(68) In Hetruria quidem a *Statut. Florentin. lib.* 3. *rubric.* 112.
(69) *Iuvenal. sat.* 11.

gentia, de qua non sine indignatione *Matthaeus* conqueritur (70), paulatim recessit, et rigor pristinus revocatus fuit (71). Hodie apud Nos adulterii crimen, caeteris utcunque gravius, quae ad classem hanc pertinent, nec autem propterea capitali vindicandum supplicio, opere publico ad tempus in mares plectitur, ergastulo in foeminas; atque haec ipsa poena, qua, ubi vis intervenerit, solum vim faciens tenetur, gradu protrahitur, tametsi inermis sine Gentium auxilio sui ipsius robore, et viribus perfecerit scelus: Relegatio digamos manet; breviori ergastulo crimen punitur in foeminas (72): Mitius etiam concubitus plectitur inter personas, quarum altera non eandem, ut altera, Christianam religionem profiteatur (73). Quod de adulterio,

. . . . alea turpis,
Turpe et adulterium mediocribus, haec eadem ipsi
Omnia cum faciant, hilares, nitidique vocantur.

(70) *D. tit.* 3 *cap.* 2. *n.* 3.

(71) Ad Nos quod attinet a *Lege* 16. *Ianuar.* 1699.

(72) *D. Leg. anni* 1795. § 20. 22. 23. Digami olim in Hetruria puniebantur trireme; et quoniam infames *ex leg.* 1., *et* 13. *ff. de his, qui notantur infamia*, ideo super asinum prius ducebantur per Urbem redimiti infula, et geminam gestantes colum *Caball. resolut. crim. cas.* 98 n. 12.; praedicta infamiae symbola, et carcerem etiam *Concilium provinciale Florentinum anni* 1514. decreverat in crimen misti Fori tunc temporis.

(73) *Cod. Leopold.* § 97. Ubi tamen ea desint,

vi interveniente, diximus, hoc idem de caeteris delictis id generis, ita quidem, ut faciens vim nequaquam poenae speciem adulterio statutam, publicum scilicet opus, perfecto flagitio, evadere possit (74): Id autem in adulterio notandum, quod, quatenus privatum est crimen, Mariti remissio ante sententiam actionem ad poenam extinguit (75).

CAPUT II.

De stupro.

XIV. Dedecus, ac turpitudo quaecunque stuprum dicta fuit antiquitus (1); postea ad certam criminis speciem hoc nomen restrinxit usus, non excluso adulterio (2); strictius tandem ad stuprum illud, graece φθοραν,

quae notorium, ut dicunt, constituunt, coercere peccatum Politiae potius officium crederem.

(74) *D.* § 22.; quam ipsam poenam et ad longum tempus, atque etiam ad vitam juxta circumstantias protrahere non utique severitatis excessus, mea quidem sententia, fuisset, cum vis cujuscunque delicti gravitatem adaugeat quam maxime.

(75) *Cod. Leopold.* §. 3, *d. Leg. anni* 1795. §. 6.

(1) Ut patet ex *Naevii* versibus apud *Festum* restitutis a *Scaligero*

. . . . perire mavolunt ibidem,
Quam redire cum stupro ad suos populares.

(2) *Leg. inter stuprum ff. de verborum significatione.*

de quo nunc agendum, quodque Lex eadem Julia simul cum adulterio persequitur (3): Hoc itaque sic a *Matthaeo* definitur (4) „ „ corruptio pueri, vel viduae honestae, aut „ virginis „: De pueri stupro disseremus in posterum; stuprum viduae, ac virginis nunc insequemur. Corruptionis autem vocabulo concubitum hic intelligimus, quem quidem in virgine deflorationis nomine *Paolettus* notavit (5), in qua non animus dumtaxat, sed corpus pariter laeditur, et flos, candorque virginalis destruitur: Quapropter quod cum vidua stuprum patratur, minus proprium dicunt; quod cum virgine, proprium.

XV. Stuprum apud Romanos ancillis illatum, foeminis nempe conditionis servilis, extra Legis Juliae censuram fuerat; Dominus enim id faciens uti videbatur re sua, et in extraneos, qui eas vitiassent, privatam actionem Dominus ipse exercebat (6): Ita pa-

(3) *Leg. inter liberas ff. ad leg. Iul. de adulteriis, et stupro, § item lex Iulia de adulteriis instit. de publicis judiciis.*

(4) *D. tit. 3. cap. 5.* § 1.

(5) *D lib. 6. tit* 2.

(6) Injuriarum quidem, si maturam, Legis Aquiliae, si immaturam stuprassent *leg. si stuprum ff de injuriis, d. leg inter liberas ff. ad leg. Iuliam de adulteriis, et stupro, leg. etsi libidine Cod. eod.*; stuprum tamen libertinarum lege Iulia comprehensum *Leggius contendit* contra opinionem *Matthaei loc. cit. n.* 3.

riter extra Legis censuram, quin et impune fuerat comprimere foeminas vulgares, et viles, utcunque liberas (7), nisi forte intervenisset vis; haec etenim, quaecunque porro fuisset conditio foeminae, actione publica vindicabatur (8): Quoad caeteras omnes aut viduas, aut virgines actio Legis Juliae de stupro obtinebat, qua quidem actione ipsa etiam foemina, sicut mas, tenebatur, ubi voluntaria pudorem suum alienae libidini supposuisset (9); nec autem paternae severitatis ante ipsam Legem scriptam (10) fera desunt exempla adversus peccantes in hoc genere filias, ut habemus a *Valerio Maximo* (11), quemadmodum severe non minus hoc idem peccatum punitum fuisse legimus apud Hebraeos (12).

XVI. Veruntamen ad ancillas quod atti-

(7) *Leg. quae adulterium Cod. eod.*: Quod quidem etiam ante legem Iuliam impune fuisse notaverat *Plaut. in Curcul. act.* I. *scen.* I.
Dumne per fundum septum facias semitam,
Dum te abstineas nupta, vidua, virgine,
Iuventute, et pueris liberis, ama quod lubet.

(8) *Leg. in eadem ff. ad leg. Iuliam de vi publica, leg. unica Cod de raptu virginum.*

(9) *Leg. eum qui, leg. foedissimam Cod. ad leg. Iul. de adulteriis, et stupro, Voet. ad Pandect. lib.* 48. *tit.* 5. *n.* 2.

(10) Nullam exstitisse sub Regibus testatur *Cic. de Legibus lib.* 2. *cap.* 4., neque ullius in posterum ante *Augustum* certa exstat memoria.

(11) *Lib.* 6. *cap* I.

(12) *Levitic. cap.* 21. *v.* 10., *Genes. cap.* 38. *v.* 24.

net aliud in posterum successit Jus, et viget nunc inter cultas Europae Gentes; cum enim servitus jandiu exulaverit, cujuscunque conditionis aliunde foemina sit, dummodo vitam agat honestam, quisquis eam vitiaverit aeque de stupro tenetur, ac si melioris fortunae vitiasset foeminam: Non utique natalium, non exercitii, sed morum habenda ratio (13); ideoque quod aliter olim de famulis *Statutum Florentinum* decreverat (14), non secus ac si famulatus necessitatem inhonestatis induceret, non minus absurdum videtur, quam mos, qui postea invaluit (15), levius puniendi stupra domestica, ea scilicet, quae Domini perficiunt cum famulis, quaeque, honestate probata, gravius imo videbantur punienda propter auctoritatis quodammodo abusum, et proditionem fiduciae, qua freti Parentes, aut ii, quorum interest, puellas ipsis crediderant (16).

XVII. Caeterum vero, siqua nunc etiam foemina, sive innupta, seu vidua, quaecunque illius conditio sit, libidini indulgens minus honestam duxerit vitam, neque ipsi im-

(13) Id ipsum de ingenuis *Valentinianus* agnoverat in *leg. humilem Cod. de incestis, et inutilibus nuptiis.*

(14) *Rubric.* 112. *lib.* 3.

(15) *Paolett. d. tit.* 2.

(16) *Carrard jurisprud. crim. part* 1. *sect.* 2. *cap.* 1. §. 5., *Renazz. d. part.* 2. *cap.* 1. §. 1.

pune erit, nec moecho (17; utriusque enim sexus licentiam comprimere disciplina exigit morum, quibus communis tranquillitas, ut sapienter notat *Renazzius* (18), adhaeret arctissime; atque hoc quidem officium apud Nos ad Politiae Magistratum praecipue pertinet, quemadmodum ipsius officium est continere prostantes in lupanari, ne procax earum impudentia incitamento sit ad peccandum. Lupanaria porro tolerare, sicuti apud omnes fere Gentes, ut olim, nunc tolerantur, in Civitatibus praesertim refertis populi, illa ipsa ratio suasit, qua morbus ad aliquam corporis partem quandoque revocatur a Medicis, ne totum corpus inficiatur contagio; miserandum profecto remedium, sanitatem, ut ait *Seneca* (19), debere morbo, sed quod unicum suggerebat necessitas (20), postquam nec provida *Augusti* Lex de maritandis ordinibus (21), nec quae successerunt in posterum evellere malum potuerant, nec unquam fortasse poterunt: Satius itaque est Romanorum exemplo (22) eas coercere

(17) Sicut non erat apud Romanos, ut vidimus jam, et infra videbimus.
(18) *D. part.* 2. *cap.* 1. §. 5. *n.* 4. *not.* 1.
(19) *De ira lib.* 1. *cap.* 12.
(20) *Vid. Renazz. d. cap.* 1. §. 1., *Filanger. scient. legislat. lib.* 2. *cap.* 8.
(21) Cujus commentarium celebre exhibuit *Heinecc. ad leg. Iul. et Pap. Popp.*
(22) *Liv. histor. lib.* 10. *cap.* 31., *lib.* 25. *cap.* 2., *Heinecc. d. comment. lib.* 2. *cap.* 1. §. 11.

foeminas, quae extra fornicem vagantur infraenes, et vigilare in prostantes, ut supra monuimus, quarum infamia, nomine apud Aediles professo, instar poenae habebatur(23), et quodammodo habetur nunc quoque.

XVIII. Honestatem in foemina requiri diximus, ut actio stupri sibi vindicet locum, quae quidem in vidua liquidis probationibus indiget; hujusmodi enim foeminae, ministeria Veneris jam prius edoctae, repugnantiam simulantes quandoque, pugnando vinci desiderant, et

Quod juvat, invitae saepe dedisse volunt (24), non secus ac *Licinia* illa *Maecenatis* amica, de qua canebat *Horatius* (25); nec forsan immerito secundae ipsae nuptiae, praesertim vero intra annum luctus, impudicitiae indicium, ut olim, nunc etiam existi-

(23) *Tacit. annal. lib.* 2. *cap.* 85. Toleranda, ait *Renazzius d. cap.* 1. §. 1. *in not.*, sunt lupanaria ad majus evitandum malum, nec autem idcirco publica auctoritate paranda. Quid porro de vectigali illo, quod super meretricum quaestum *Caligula* induxerat, quodque veluti novum scelus, et piaculum insolens *Anastasius* deinde sustulit? *Sueton. in Caligul. cap.* 40., *Gothofred. in Cod. Theodos. lib.* 13. *tit.* 1. *leg.* 1.

(24) *Ovid. de arte amandi Lib.* 1.

(25) *Carmin. lib.* 2. *od.* 12.

. . . . aut facili saevitia negat,
Quae poscente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupet.

mantur quodammodo (26). Puellarum honestas, ubi nil in adversum probatum fuerit, ex ipsa naturali praesumtione satis evincitur (27); virgines enim, atque innocentes nascuntur omnes, et Naturae pariter donum in eisdem est pudor (28): Quapropter, siquando erraverint, nunquam pleno consilio praesumuntur errasse, sed quod illecebris amantium indulserint, simulque ignotae illi vi, qua alter ad alterum sexus attrahitur, et ex qua non idcirco earum obscuratur honestas, ut actio stupri evanescat (29), tametsi forte quandoque vix invitatae cedant, vel ita pugnent, ut ajebat *Ovidius* (30), tanquam quae vincere nolint, ideoque vincantur non aegre; praeter quam quod non earum solummodo, sed ipsorum quoque Parentum, quorum tantopere interest, et quos aeque tangit injuria (31), habenda est ratio in delictis id generis.

(26) Vid. *Heinecc. d. comment. ad Leg. Iul. et Pap. Popp. lib.* 2. *cap.* 16 *per tot.*
(27) *Conciol. verb. stuprum resolut.* 3. *n.* 5.
(28) Hinc. *Ovid. de arte amandi lib.* 2.
In nemore, atque antris, non sub Iove juncta voluptas,
Tanta rudi populo cura pudoris erat.
(29) Neque tunc quidem, ubi stuprator, ut ait *Creman. d. cap.* 6. *artic.* 2. §. 8., ostenderet „ foeminam apud alios in amore haesisse, oscula sumsisse, aliudve minus pudicum sibi permisisse. „
(30) *Amorum eleg.* 5. *lib.* 1.
(31) Ut animadvertebat *Catull. in carmine nuptiali*

XIX. Quia porro facti permanentis quandoque delictum hoc esse potest, vestigia nimirum post se relinquere, ideo ad illud probandum, ut dicunt, in genere, praeter honestatem, haec quoque sunt exquirenda. Indubium sane stupri vestigium, et signum, honestate probata, praegnatio exhibet, et subsequens deinde partus; atque id totum dignoscere ad Obstetrices remittitur: Ubi praegnatio absit, quae quidem abesse potest multoties, neque enim plena consummatio venerei actus in stupro requiritur (32), nullum profectò vestigium in vidua superest, nisi forte per vim compressa, vim vi repellendo, vulnerata, vel laesa quomodocunque fuerit: Ad innuptam quod attinet, errasset qui crederet certa violatae virginitatis exstare vestigia pudendis in partibus, praesertim vero in membrana, quae hymenis nomine flos virgineus dicitur (33); quandoquidem satis com-

Virginitas non tota tua est, ex parte Parentum est,
Tertia pars Matri data, pars data tertia Patri,
Tertia sola tua est . . . .

(32) Ideoque spadones aeque de stupro tenentur, ut caeteri omnes *Renazz. d. part.* 2. *cap.* 1. §. 10. *not.* 1.

(33) Virgineo huic flori alludit *Catull. d. carm. nuptial.*, atque hunc imitatus Homerus Italus lib. 1., quem quidem florem, dum virgo, sicut hortorum flos,
. . . . intacta manet, tunc cara suis, sed

pertum est aliter etiam, quam per concubitum, pudendas partes laedi, aut comminui posse (34); quin illud insuper nonnulli contendunt, ne existere quidem membranam, quae dicitur hymen: Supervacanea igitur videretur inspectio, ut mos est, Obstetricum; sed quoniam partium hujusmodi laesio aeque pariter stupro tribui potest, propterea nunquam praetermittendam esse Pragmatici docent Obstetricum non solum, sed Medicorum etiam (35), ubi praesertim vel nondum viripotens compressa puella fuerit, vel quaelibet alia per vim; quidquid enim observatione dignum notaverint caeteris, quae praesto sint, probationibus non leve momentum, et pondus afferre poterit.

XX. Privatum crimen stuprum esse apud Nos, quatenus simplex, quoties videlicet quaecunque vis absit, notavimus alibi (36), ita quidem, ut non nisi foeminae stupratae, vel Patri, quo deficiente, Matri, Fratri, vel caeteris, quorum speciatim intersit, actionem

Cum castum amisit polluto corpore
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.

(34) *Teichmeyer. instit medic. legal. cap.* 4 *quaest.* 3, *Ciriac. observat. lib* 17. *cap.* 20., *Sanchez. de matrim. lib.* 7. *disput.* 113 *n.* 10., *Banniz. system. jurisprud crim. cap* 17. §. 24, *Zacch. quaest. medic. legal. lib.* 4. *tit.* 2. *quaest.* 3. *n.* 14. *et seq.*

(35) Et rectius juxta *Teichmeyer. d. cap.* 4 *quaest.* 4.

(36) *Lib.* 1. *cap.* 1. §. 30. *not.* 120.

stupri instituere concessum sit (37): Quapropter sive sub spe matrimonii, fide solemniter praestita, seu caeteroquin praeter modum seducta, nec tamen invita, amantis precibus foemina cedat, semper privati criminis naturam retinet stuprum, gravius utcunque puniendum, quam si meris ipsius blandimentis sollicitata cessisset (38): Neque diversae naturae erit crimen, ubi vis absit, si forte vel tutor pupillam stupraverit (39), vel famulus, aut stipendiarius quilibet, ipse etiam Ludimagister (40), Domini filiam, sororem, neptem, aut eam, quae Domini custodiae concredita apud eundem degat, tametsi haec quoque stupra gravius puniantur propter proditionem fiduciae, et commodi abusum. Et quamvis grande sit nefas, cum Virgo Deo sacra stupratur (41), neque istud quidem

(37) *Cod. Leopold.* § 3.
(38) *Cod. Leopold.* §. 98.
(39 *Leg. unica Cod. siquis eam, cujus tutor etc.* Quod tamen stuprum a carceris custode, vel alio quolibet, qui auctoritate polleat, in foeminam detentam committitur, hoc sane, etiamsi vera vis absit, actione publica vindicandum est propter ipsius auctoritatis publicae abusum; vid. quae diximus *lib.* 2. *cap.* 12. §. 65.: Conatus *Appii Claudii in Virginiam* nefandum exemplum est auctoritatis publicae abusus *Liv. lib.* 3. *cap.* 20. *n.* 44.
(40) *Leg.* 24. *Ianuar.* 1754. § 6., *Cod. Leopold* §. 99.
(41) *Leg. siquis Cod. de Episcopis, et Clericis,*

stuprum, absente vi, ex qua palam scelus jam innotuerit, actione publica vindicandum est, ne forte remedium ipso malo sit pejus: Res itaque tantae prudentiae, et consilii, siquando eveniat, ad Politiae Magistratum remittenda videtur (42).

XXI. Vim porro, ex qua publicum crimen evadit stuprum, non secus ac adulterium juxta patrias Leges, non eam intelligimus solum, quae corpori, sed etiam quae animo infertur, adeo quidem, ut consensus vel penitus absit, vel instantibus minis extortus fuerit, sive autem vir, sive foemina *Messalinae* (43, vel *Salmaci* similis (44) intulerit vim (45). Quia vero consensus penitus pariter abest in dormiente (46), in demente, aut dementi similis propemodum red-

authentic. collat. 9. tit. 16., seu novell. 123. *cap.* 43; grande pariter nefas antea fuerat stuprum Vestalium *Dionys. lib.* 2.

(42) Simulque ad Episcopum quoad Monastriam: *Vid. lib.* 2. *cap.* 8.

(43) *Iuvenal. sat.* 10.

. . . . quid placeat, dic:
Ni parere velis, pereundum erit ante lucernas.

(44) Vid. quae de hac Nympha diximus *lib.* 3. *cap.* 12. §. 93. *et in not.*

(45) *Creman. d. artic.* 2. § 9.

(46) Dormienti stuprum inferri posse notat *Renazz. ex Lynch. d. cap.* 1. §. 8. *n.* 3.; verum id perdifficile admodum *Teichmey. d. cap.* 4. *quaest.* 3.

dita, vel opiis, vel quolibet id generis poculo, ideo in his quoque stuprum consideratur ut violentum, quemadmodum, si nondum viripotens compressa fuerit (47); et quamvis post annum puellae septimum ipsius assensum qualemcunque probare integrum sit stupratori (48), non propterea adversus eum, minus utcunque puniendum, publica cessabit actio, simul ac in tanta uvae maturae copia, ut ait *Renazzius*, immitis cupidinem, Naturae injurius, noluit abjicere ex animo. Denique actione pari stuprum coercendum videtur, quod simulato matrimonio committitur, ficto videlicet inducto Parocho, et testibus; neque enim seductio haec est (49), sicut esset, si callidis persuasionibus, sermonibus, ac picturis obscenis, aliisque id generis artibus puellae simplicis (50) animum

(47) *Renazz. loc cit.*, *Caravit. instit. crim. lib.* 4. §. 1. *cap.* 44. *n.* 46.

(48) *Creman. d. artic.* 2. §. 8.: Vid. quae diximus *lib.* 1. *cap.* 2. §. 58.

(49) Ut *Paolettus* putavit *d. tit.* 2.; Vid. *Creman. d.* §. 8. *not.* 1., ubi et falsitarem, et rei sacrae abusum exaggerare summopere crimen sapienter observat.

(50) Similis puellulae illi, de qua *Boccacc. fab.* 10. *diei* 3: Caeterum nemini hodie id persuasum foret, ut *Filanger.* notat *scient. legislat. lib.* 3 *cap.* 50. *in fin.*, magis puniendum esse stuprum seductionis, sicut olim Athenis, quam violentum.

corrupisset stuprator, sed exsecranda proditio, quae parum ab illa differt, cum ficto caelibatu quis alteram superinducit uxorem, de qua dictum est supra.

XXII. Actionem stupri, diximus alibi (51) concessam fuisse quandoque foeminis, quae, cum bis diverso amante errassent, ex secundo solum errore, et amante jacturam nominis fecerant, ac de eo conquerebantur; verum haec sententia constanter rejicienda videtur, nec foeminae innuptae, quae bis haud invita peccavit, eadem ut viduae ratio est habenda, quae semel tantum: Actio stupri tunc solum exerceri a foemina poterit adversus eum, qui ipsam jam ab altero stupratam compressit, ubi constiterit stupratam fuisse, dum nondum viripotens erat, sive per vim; stuprum enim et animi, et corporis corruptionem significat, neque per vim corrumpitur animus, nec amittitur pudor (52).

XXIII. Crimen hoc ex Romanorum Iure, ubi per vim patratum fuisset, actione Legis Iuliae de vi publica vindicabatur (53), ideo-

(51) *Lib. 2. cap.* 16. §. 86. *not.* 15.

(52) *Matth. d. lib.* 48. *ff. tit.* 3. *cap.* 5. *n.* 2., *Renazz. d. cap.* 1. §. 1. *et* 2.: Multo minus amittitur, siqua forte foemina non ad libidinem, sed ad injuriam, aliter quam per concubitum, pudendis in partibus fuerit laesa.

(53) *Leg. mariti* §. *final. ff. ad leg. Iul. de adulteriis*, *leg. in eadem ff. ad leg. Iul. de vi publica*.

que interdictione aquae, et ignis (54), cui deportatio successit; metallum, relegatio, aut exilium juxta personas indictum iis fuerat, qui corrupissent virgines nondum viripotentes (55); tutor, qui pupillam stuprasset, deportabatur (56); servus concumbens cum Domina verberatus tradebatur igni, ipsa autem plectebatur capite (57); eadem capitis poena manebat corruptorem virginis Deo sacrae, custodia rigidior corruptam (58): Caeteri omnes, qui sine vi stuprassent aut virginem, aut viduam honeste viventem, publicatione dimidiae partis bonorum, aut relegatione, si humiles, coercebantur (59). Ad Nos quod attinet, postrema haec stupri species pecuniaria plectitur multa in stupratorem (60); augetur tamen haec multa, quoties ipse praeter modum seduxerit foeminam; ad relegationem etiam extenditur, ubi sub spe ma-

(54) *Leg. qui dolo ff. eod.*
(55) *Leg. siquis aliquid § 1. ff. de poenis.*
(56) *Leg. unica Cod. siquis eam, cujus tutor etc.*
(57) *Leg. unica Cod. de mulieribus, quae se propriis servis. etc.*
(58) *Novell.* 123. *cap.* 43.
(59) *§. item lex Iulia de adulteriis instit. de publicis Iudiciis.*
(60) Cum foemina quasi ultro peccat, injuria ad Parentes potius refertur, et proximos, quam ad foeminam ipsam; haec autem satis alioqui poenarum ex ipso dedecore sumpsisse videtur, et ex partus incommodis, ubi conceperit, quin publicam etiam sustinere vindictam debeat, ae-

trimonii, fide solemniter praestita, eandem ad peccatum induxerit; utroque insuper casu ad foeminam dotandam, aut uxorem ducendam stuprator damnatur (61), et, si ducat, poena remittitur (62), non ita, si dotet, vel, si impedimentum canonicum nuptiis obstet (63); evadit pariter poenam, si nubere foemina renuat, paratus ipse (64); dos autem quomodocunque ab eo debetur (65), nisi forte ante sententiam stuprata aut perierit (66), aut simul cum iis, quorum interest, a criminatione recesserit penitus, tunc enim actio quaecunque perimitur ex nuper citatis patriis Legibus. Stupra domestica, ea scilicet, quae commiserint famuli, aut alii,

que ac mas, sicut olim. Caeterum vero hujusmodi stupra ad Politiae cognitionem remittere nonnulli rectius putant, nec forsan immerito, ne quod simul peccatum duo clam perfecerunt, illud solemnitate processus publicum reddere, paucis deinde expiandum nummis a mare, exemplo noceat magis, quam prosit.

(61) *Cod. Leopold. d.* §. 98.

(62) *Leg.* 30 *August.* 1795. §. 6.

(63) *Creman. d artic.* 2. §. 17.

(64) *Harpprecht. in instit. lib.* 4. *tit.* 18. §. 4. *n.* 92., *Iodoch. prax. crim. cap.* 94. *n.* 6.

(65) *Raynald. observat. crim. cap.* 23. §. 1. 2. 3. *n.* 197. Id ipsum apud Hebraeos *Exod. cap.* 22. *v.* 16.; vid. *decis. anni* 1792. *in Causa contra Ferrinium sub n.* 169.

(66) *Paolet. d. tit.* 2.

de quibus dictum est supra, opere publico (67) ex *Codice Leopoldino* puniuntur; quae poena, cum deportationi successerit, tutorem pariter manet, qui pupillam compresserit: Tametsi porro haec quoque stupra, vi absente, privata juxta Legem (68) sint crimina, non propterea, ubi legitime instituta fuerit actio, ab iis nempe, quorum interest, subsequens eorum remissio actionem ipsam extinguit (69). Publicum opus ad tempus praescriptum est stupro violento; nec ultra relegationem puniendum stuprum videtur, quod ficto matrimonio committitur (70), quae ipsa poena digamos manet. Quaecunque porro sit stupri species, ubi foemina facta sit praegnans, partus, et puerperii impensas reficere stuprator tenetur; quemadmodum ad damna tenetur qui virginem nondum viripotentem compresserit, ideo quod ipsius conditio deterior

(67) Infimi tamen gradus; Lex enim posterior, et vigens §. 22. hanc poenam ultra primum gradum reservatam voluisse videtur stupris per vim perpetratis.

(68) *D. Cod. Leopold.* §. 3. „ *restano eccettua-* „ *ti ec. gli stupri, e adulterj senza violenza*. „

(69) Lex enim 30. *August. supra dicto* §. 6. de hujus generis stupris non loquitur.

(70) Quod quidem crimen publicum est ratione falsitatis, et rei sacrae abusus. Caeterum ad violentiam quod attinet vid. quae generaliter accipienda notavimus in altero capite §. 13. *not.* 74.

fit, ac multo etiam deterior, quoties ad concipiendum reddita fuerit impar. Conatus mitius punitur: Reliqui impudici actus, qui stupri veluti praeludia sunt, privato fuste plectuntur (71); nec aliter punienda videntur oscula, et suavia, quae invitis figuntur, nisi forte vera vis intervenerit, ex qua severam, et publicam mereantur vindictam (72); ubi vis absit, neque praeteriti temporis rigor est adoptandus (73), neque indolentia *Pisistrati*, qui Uxori vindictam expetenti, quod Filiae *Thrasybulus* fixisset osculum, sedate, placideque respondit „ si „ illos, qui nos amant, habemus odio, quid „ faciemus iis, qui nos oderunt? „ (74): Animi etiam ratio est habenda; minus etenim peccat qui oestro amoris percitus, quam qui ad injuriam (75), nec autem qui ad risum cum altera *Gabrina* luserit (76).

(71) *Cod. Leopold.* §. 100.
(72) Iuxta *d. leg.* 30. *August.* §. 22.
(73) Vid. *Caball. resolut. crim. cas.* 96 *n* 14., *Basilic. dec.* 22. *n.* 2.
(74) Vid. *Matth. d. tit.* 3. *cap* 2. *n.* 8.
(75) *De Amen. de delictis, et poenis lib.* 3. *tit.* 4. §. 2. *n.* 40. De singulis ejusmodi actibus cognitio, ubi vis absit, ad Politiae Magistratum rectius pertinet.
(76) Vid. *Surd. de alimentis tit.* 7. *quaest.* 16. *num.* 35.

CAPUT III.

De raptu .

XXIV. Violenta, ac invita deductio personae honestae a loco in locum libidinis exercendae causa dicitur raptus (1), quod quidem crimen utrique sexui aeque commune esse potest; nam, licet ut plurimum perpetretur a mare, cum foeminam innuptam, viduam, nuptam, vel marem alterum surripit, non propterea novum penitus est ipsas etiam audaces, et salacissimas foeminas rapuisse quandoque mares, vel alteram foeminam ad explendam tribadum more libidinem (2): Quod si aliis ex causis, praeter hanc, quae tamen imputatione non vacent, abducatur sive mas, sive foemina, raptus actio cessabit, et aliae succedent, ut alibi diximus (3).

XXV. Honestatem porro requirimus; quapropter siquis meretricem per vim rapuerit, non utique raptus actione teneri poterit: Tenebitur tamen de vi; hanc enim a Populo abesse Leges generaliter jubent, et Populi pars ipsa quoque sunt scorta, ut sapienter

(1) *Boehmer. d. sect. 2. cap. 11. §. 132.*
(2) *Matth. d. lib. 48. ff. tit. 4. cap. 2. n. 2. 3.*
(3) *Lib. 3. cap. 12. §. 93.*

animadvertit *Matthaeus* (4); ideoque neque *Ulpiani* indulgentiam probat (5), quasi facti ignominia sat ausum raptoris compenset, neque doctrinam *Decii* (6), qui meretricem cogi a quocunque ad venerem posse scribit ea ductus ratione, dissimili tamen, qua caupo cogitur viatores recipere.

XXVI. Deductio pariter a loco in locum, et quidem disparatum requiritur, ut quis teneatur de raptu: Hinc stuprum violentum, non raptum dicimus, cum ab una in alteram ejusdem aedificii partem persona per vim traducitur ad crimen perficiendum commodius: Quin etiam nonnulli contendunt neque tunc raptum esse, cum aliorsum ad perbreve tempus abducta fuerit, ideoque vix perfecto flagitio patriis Laribus restituatur (7). Nec autem assentimur *Matthaeo*, qui raptum a stupro violento nihil differre scripsit (8); quandoquidem raptus patratus dicitur, tametsi neque aggressum, neque perfectum opus veneris fuerit, stuprum non itidem; quod quidem discrimen *Marcianus*

(4) *D. cap.* 2. *n.* 4., *Farinac. quaest.* 145. *n.* 188., *Renazz. d. lib.* 4. *part.* 4. *cap.* 7. § 1 *not.* 1.
(5) *In leg. verum est, si meretricem ff. de furtis.*
(6) Ut notavimus *lib.* 2. *cap.* 18. §. 100.
(7) *De Amen. de delict. et poen. part.* 3. *tit.* 4. §. 7 *n.* 2.
(8) *D. cap.* 2. *n.* 6. 7.

ipse et novisse, et sanxisse videtur, statim ut separatim de hisce criminibus egit (9).

XXVII. Raptum diximus esse, quoties per vim, ac invita persona abducitur; invitam autem intelligimus, etiamsi externa vis absit, simul ac voluntati impedimentum qualecunque obstet, blanditiae nimirum, dolosae persuasiones, aliaeque id generis artes, ex quibus praestans illa facultas animae ad tranquillitatem sui status servandam reddatur impos: Consensus itaque simili modo extortus actionem raptus non tollit, quia, ut Imperator ait (10) „ hoc ipsum velle mu„ lierum ab insidiis nequissimi Hominis, qui „ meditatur rapinam, inducitur; nisi etenim „ eam sollicitaverit, nisi odiosis artibus „ circumvenerit, non facit eam velle in tan„ tum dedecus sese prodere „: Quin neque ipse liber consensus actionem penitus perimit, ubi persona, quae abducitur, sui juris non sit, sed aliorum potestati subjecta, praesertim vero Parentum, quos aeque tangit injuria (11): Id ipsum obtinet, etsi potius, quam

(9) *In leg. in eadem, leg. qui coetu ff. ad leg. Iul. de vi publica*: Vid. *Boehmer. cap.* 11. §. 133., *Renazz. d. cap.* 7. §. 2. *n.* 2., *Paolett. instit. crim. lib.* 2. *tit.* 4., *De Simon. de delict. mer. affect. part.* 2. *cap.* 7. § 5.

(10) *In leg. unica Cod. de raptu virginum.* Vid. *Vinn. in instit. lib.* 4. *tit.* 18. §. 8.

(11) *Boehmer. d. cap.* 11. §. 136., *Paolett. d. tit.* 4.

ad caecam libidinem, ad matrimonium ineundum foemina, libens utcunque, abducta fuerit; neque enim hostili more in Civitate pacata. ut ait *Matthaeus* (12), hoc est quaerendum; si tamen id eo consilio concorditer peractum fuerit, quod forte Parentes injuste nuptiis obsisterent, ideoque nulla interposita mora Auctoritatem publicam adierint ambo, tunc sane cessabit actio, cum dolo careat qui publicae Auctoritatis implorat officium (13).

XXVIII. Quid autem, si sponsus abduxerit sponsam praeproperus, Parentibus inseiis, aut iis, quorum interest, cumque ea coierit? Raptum non esse *Constantinus* edixerat (14), sed *Iustinianus*, relicta extra suum Codicem Lege, raptum esse apertissime sauxit (15), quod quidem Ius et apud Nos viget, et ubicunque Gentium sponsalia de futuro, ut dicunt, vi carent obligandi civiliter (16); atque hoc idem dicendum, tametsi sponsa

(12) *D. cap.* 2. *n.* 18.

(13) Nec autem, tametsi proprie raptus non sit, impune propterea erit praegnantem innuptam Parentibus insciis aliorsum duxisse, ut ibi tute, ac secure foetum emittere possit, ipsa licet instante ad eorum evadendam iram, simulque errorem tegendum.

(14) *In leg.* 1. *Cod. Theodos. apud Gothofred. lib.* 9 *tit.* 24

(15) *In d. leg. unica.*

(16) *Matth. d. cap.* 2 *n.* 13., *Creman. d. cap.* 6. *artic.* 7. §. 4.

ipsa, impatiens fortasse morae, consenserit (17), cum non idcirco hujusmodi ausum considerari possit in sponso, tanquam simplex juris excessus, ut *Boehmerus* putat (18).

XXIX. Quamvis porro simplex a loco in locum deductio causa libidinis constituat raptum, ut supra notavimus, actione publica, sicut apud Romanos, vindicandum apud Nos quoque, gravius tamen crimen hoc ipsum esse, et poena graviori dignum, ubi libido expleta penitus fuerit, non est ambigendum: Propterea pudendarum partium inspectio hic pariter, perfecto stupro, requiritur; atque ita quidem, quoties foemina ipsa a raptore se compressam fuisse non inficietur: Verum non ita, si neget; quandoquidem illae ipsae considerationes, ex quibus ab inspectione hujusmodi abstinendum monuimus alibi (19), hic etiam, et multo magis recurrunt, simul ac non idcirco poenam, quae satis exemplo prosit, raptor evadere potest; atque ita de-

(17) *De Amen. d.* §. 7. *n.* 19.
(18) *Ad Carpzov. observat.* 4. *n.* 3.
(19) *Lib.* 3. *cap.* 8. §. 63. Neque tum protinus inspectioni Obstetricum innupta subjicitur, cum praegnans renuntiatur ab iis, quorum est officium juxta *Edict.* 25. *Iul.* 1701., et ipsa negat; sed a Curia cogitur statutis diebus sistere, donec satis innotescat, utrum revera sit praegnans, necne, ut inde, si praegnans, de partu tuendo caveat.

cisum legimus sub anno 1778. in *Pisana raptus contra Stephaninium*.

XXX. Qua poena coercitum crimen hoc fuerit apud Romanos ante Legem Iuliam non satis patet; nec autem ipsis impune fuisse credendum est, licet singulare ex hoc incrementum Romana res acceperit, ex Sabinarum scilicet raptu, ut observat *Matthaeus*(20), quemadmodum ex raptu Silonitarum Beniamin Tribus inter Hebraeos, jam fere deleta, ad novam quodammodo vitam fuit restituta (21): Haec, et alia veterum Gentium exempla, quae a *Matthaeo* afferuntur, et quae tamen simulati potius raptus videntur imagines, etiamsi verum referrent, non ideo facinus ipsum, neque illius gravitatem levarent, quod quidem ultimo vindicatum supplicio Lex Iulia voluit (22). Severiores etiam deinde successerunt Leges, et poenae sub *Constantino* praesertim, et *Iustiniano* (23), qui gladii poenam decrevit raptoribus, caeterisque sociis in crimine, simulque bonorum jacturam, ubi aut ingenua, aut virgo Deo sacra fuisset rapta; potestatem insuper Parentibus detulit, aut iis, quorum intererat, scelestos hosce occidendi in ipsa rapina deprehensos; flammis absumi quoscunque jussit, qui condi-

(20) *D. cap.* 2. *n.* 5.
(21) *Judic. cap.* 21. *v.* 21. *et seq.*
(22) *Leg. qui coetu ff. ad leg. Iul. de vi publica.*
(23) *In. d. leg. unica Cod. de raptu virginum.*

tionis servilis, citra sexus discrimen, in haec peccassent (24); Parentibus, qui remisissent injuriam, deportationem indixit, et nuptias constanter vetuit inter raptorem, et raptam. Verum hic *Iustiniani* rigor generaliter paulatim recessit, nec quodcunque ille sanxit servatur hodie; nam et Parentes impune remittunt injuriam, et nuptiae nunc permittuntur raptorem inter, et raptam, quae parti reddita tutae consentiat (25): Ita pariter non eadem poena raptores manet, qui externam vim adhibuerint, et eos, qui seduxerint tantum, aut consentientem abduxerint; hinc neque raptor quicunque deprehensus in crimine impune interfici poterit, sed ille solum, qui armis instructus ad caedem paratus resistat, et quam rapuit recuset pertinax reddere (26). Apud Nos vigens patria Lex ipso Codice Leopoldino multo indulgentior publicum opus ad breve tempus praescripsit

(24) Ex ferociori *Constantini* Lege et isti, et lenae nutrices liquefactum plumbum glutire cogebantur *d. leg.* 1. *apud Gothofred loc. cit.* Ipsis etiam foeminis, si raptui non obstitissent, poenam *Constantinus* statuerat, quam tamen a Codice suo *Iustinianus* delevit, sexui suo more indulgens, ut notat *Simonius d. part.* 2. *cap.* 7. §. 1. 4.

(25) Conf. *Tridentin. Concil. sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.*

(26) Vid. quae diximus *lib.* 3. *cap.* 2. §. 12.

raptui per vim patrato, ac perfecto (27); relegationem tantum, ubi vis absit; mitiorem etiam ejusdem generis poenam, si foemina plene consenserit.

CAPUT IV.

De incestu.

XXXI. Foeda, et nefaria maris, et foeminae commixtio contra reverentiam sanguini debitam incestus dicitur (1), quasi *in*, seu non *castus*, foedus videlicet; incestare apud Latinos quamcunque speciem foeditatis significat (2), proprie tamen veneream hic intelligimus: Alii nomen derivatum ajunt a cesto *Veneris*, a cingulo nempe, seu zona, qua virgines constanter antiquitus cinctae ducebantur ad nuptias, eamque solvebat sponsus,

(27) Ultimum supplicium, idest publicum opus ad vitam Codex Leopoldinus decreverat §. 100., qua poena reapse puniendus videtur raptus violentus, ubi cum adulterio conjunctus sit, nec longe inferiori, ubi cum stupro, aut incestu; atque id multo magis, ubi insuper laesio personae intervenerit: Vid. quae de bonorum raptoribus, huc per analogiam quodammodo revocanda, notavimus *lib.* 4. *cap.* 6. §. 53. *not.* 25.

(1) Ita *Matth. d. lib.* 48. *ff. tit.* 3. *cap.* 6. *n.* 2.

(2) Inter caeteros apud *Virgil. Aeneid. lib.* 6.
Praeterea jacet exanimum tibi corpus amici,
Heu nescis! totamque incestat funere classem.

vel pronuba, et *Dianae* dicabat (3); hac autem zona, vel cesto amorum conciliatore (4) honestis tantum in nuptiis poterant uti, ideoque reliquae dicebantur incestae (5): Alii cum *Festo* a graeco verbo ανηκεςον, insanabile, incestus nomen descendere, volunt, quod quippe gravissimum, et inexpiabile scelus designet (6).

XXXII. Grave profecto scelus hoc esse, cum inter ascendentes, et descendentes, quocunque gradu distantes committitur, nefarium propterea dictum (7), non est inficiandum, quippe quod ipsi etiam Iuri naturali absoluto adversum videtur, simul ac ex hujusmodi conjunctionibus officia quaecunque, et affectiones, quas ipsa Natura has inter Personas praecepit, labefactarentur, et penitus confunderentur, ut sapienter animadvertit *Lam-*

(3) *Scalig. poet. lib.* 3. *cap.* 101.: Hinc *Catull. carm.* 2. de nuptiis *Atalantae* loquens
Tam gratum mihi, quam ferunt puellae
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluit diu ligatam.
(4) Huic alludit *Martial. epigramm.* 13. *lib.* 6.
Ut Martis revocetur amor, summique Tonantis,
A te Iuno petat ceston, et ipsa Venus.
(5) *Vet. Scholiast. ad Stat. Thebaid. lib.* 2.
(6) *Matth. d. cap.* 6. *n.* 1.
(7) A *ne*, et *fari*, quasi illud ne fari quidem debeamus: A farre derivat *Nonius*, quo scelerati indigni sunt, indigni nempe, qui vivant.

predus (8); nec caeteroquin illud amplius pertimescendum probabiliter est, quod festinanter nimis Filiae *Lot* pertimuerant, dum ebrium perduxerunt Patrem ad concumbendum cum ipsis (9), non alio scilicet modo genus humanum servari posse: Quapropter non nisi Naturae degeneri tribui potest, quod quasdam apud Gentes nefarii isti concubitus in more fuerint, praesertim vero apud Persas, inter quos nomine, et Magi fama nemo existimabatur excellere, qui ex simili coitu conceptus non esset (10).

XXXIII. Reliquae species incestus partim ex Iure Gentium, partim ex Iure civili descendunt: Iure Gentium incestum concubitum dicimus inter affines, qui loco Parentum, et Liberorum sunt invicem (11): Loco Parentum,

(8) *Iur. public. univers. part.* 1. *cap.* 16. §. 4.; Vid. *Pufendorf. de jur. Nat. et Gent. lib.* 6. *cap.* 1. §. 32., *et de offic. Hom. et Civ. lib.* 2. *cap.* 2. §. 8., *Grot. de jur. bell. et pac. lib* 2. *cap.* 5. §. 12. Hinc. apud *Senec. in Agamemnon. act.* 1. *scen.* 1. *Thyestes*

. . . . versa est Natura retro,
Avo Parentem, pro nefas! Patri Virum,
Natis Nepotes miscui . . . .

et apud *Ovid. Metamorphos. lib.* 10. *Myrrha*

Nec quot confundas et jura, et nomina sentis?
Tune eris et Matris pellex, et adultera Patris?
Tune soror gnati, genitrixque vocabere fratris?

(9) *Genes. cap.* 19. *vers.* 21. *et seq.*

(10) *Gronov. ad Grot. loc. cit. n.* 50.

(11) Vitricus nempe, et privigna; privignus, et nover-

et Liberorum sunt pariter qui in linea laterali inaequali plus, minusve distant (12), sed inter has personas concubitus jure civili tantum incestus dicitur (13), quemadmodum jure civili inter caeteras lateralis ejusdem lineae ad tertium usque gradum civilem, seu porro affines, sive ejusdem sint sanguinis: Ius autem canonicum ad ulteriores etiam gradus sanctionem extendit (14). Concubitum inter fratres, et sorores plerique non immerito incestum esse jure Gentium contendunt, ad morum decus servandum domesticos intra parietes; eo siquidem respexisse credimus *Papinianum*, et *Paulum*, cum moribus perpetuo adversas conjunctiones hasce dixerunt (15): Nec obstat filiorum primi Parentis exemplum, nec quorundam Populorum deinde; hoc etenim Natura corrupta, illud absoluta induxit necessitas ad propagandum genus humanum (16).

ca; socer, et nurus; gener, et socrus *leg. avuncula ff. de sondictione sine causa*, *§. affinitatis*, *§. socrum instit. de nuptiis*, *Matth. d. cap. 6. n.* 3.

(12) *Leg. sororis ff. de ritu nuptiarum*, *leg. non facile ff. de gradibus, et adfinibus*, *leg. nemini Cod. de nuptiis*, *§. fratris vero instit. eod.*

(13) *Leg. si adulterium §. stuprum ff. ad leg. Iul. de adulteriis*, *Matth. d. cap. 6. n.* 4.

(14) *Leg. celebrandis Cod. de nuptiis*, *Gloss. in §. duorum instit. eod.*

(15) *In leg. libertinus ff. de ritu nuptiarum*, *leg. si stipuler ff. de verborum obligationibus*.

(16) Vid. *Pufendorf. d. cap.* 1. *§.* 34., *Matth.*, et *Lampred. loc. cit.*

Caeterum ipsa ratio politica conjunctiones inter proximos generaliter vetitas voluisse videtur, tum ut latius per affinitates diffusas amicitiae paterent (17), tum forsan ut praestantiores inde haberentur fructus, haud aliter sicut agricolae, cum ex uno in alterum agrum semen immittunt, pariterque pastores, cum ex diverso armento masculos admissarios adducunt (18).

XXXIV. Id porro in incestu notandum, quod non simplex corporis commixtio, sicut in stupro, sed sanguinis pariter ad crimen perficiendum requiritur; nam, ut ait *Cremanus*(19),„ sicuti communio sanguinis proprie „ cognationem, vel affinitatem inducit, ita, „ nisi sanguis jam communis denuo simul „ misceatur, honor, qui praeexistenti cognationi, vel affinitati debetur, imminutus „ dici non potest „. Quapropter huc nequaquam pertinere *Boehmerus* monet personas, quae civili tantum, aut spirituali, ut ajunt, cognatione sunt junctae (20). Notandum insuper affinitatem proprie contrahi ex justis, ac licitis nuptiis (21), ideoque incestum non esse

(17) *D Augustin. de Civitate Dei lib.* 15. *cap.* 16., *Plutarch. quaest. Roman.* 108., *Renazz. d. lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 5. §. 3.

(18) *Lampred. loc. cit. in not.*, *Oreman. d. cap.* 6. *artic.* 5. §. 1.

(19) *D. artic.* 5. §. 2.

(20) *D. sect.* 2. *cap.* 29. §. 309.; et sane de his Leges patriae silent.

(21) *Leg. non facile* §. *adfines sunt ff. de gradi-*

in Foro nostro concubitum extra nuptias cum duabus sororibus, aut versa vice (22), neque, matrimonio interdicto, cum sorore ejus, quae invalide fuerat Uxor (23); quemadmodum concubitus incestus non est cum sponsae sorore, nec fratris sponsi cum sponsa, non enim, sicut justae nuptiae, sponsalia pariunt affinitatem (24). Notandum denique sanguinis commixtionem, ex qua incestus inducitur, eam esse, quae fit ordine naturali servato, non quae praepostera venere (25); neque aliunde affinitatem cum nutricibus contrahi, ut inde, qui adultus cum propria nutrice concubuit, incestus actione teneri simul cum ipsa possit (26).

XXXV. Ut autem in adulterio, ita in incestu pariter scientia requiritur praecedentis legitimi vinculi, quod quidem, quoniam ex licitis commixtionibus manat, ideo gene-

bus, *et adfinibus*, *Farinac. quaest.* 54 *n.* 74. 75.

(22) *Fabr. in Cod. lib.* 9. *tit.* 7. *definit.* 1. *n.* 7, *Tesaur. dec.* 100. *n.* 7.

(23) *Ad text. in d. leg. non facile* „ sciendum est „ neque cognationem , neque adfinitatem esse „ posse, nisi nuptiae interdictae non sint, ex „ quibus adfinitas conjungitur„ *De Simon. d. part.* 2. *cap.* 12. *§.* 5. *et seq.*

(24) *Saceh. instit. jur. canonic. lib.* 2. *tit.* 9.

(25) *Paolett. d lib.* 2. *tit.* 3. *in fin.*

(26) Quidquid aliter *Boerius decis* 318. *n.* 4. scripserit, quem retundit *Carpzov. pract. crim. quaest.* 72. *n.* 55., *Boehmer. d. sect.* 2. *cap.* 29. *§.* 309

raliter notum praesumitur, praesertim vero inter proximos; quapropter probatio ignorantiae ad reum, vel reos pertinet, quatenus ambo in ipsam intendant, ut inde ille solus, vel illa poenam statutam crimini evadat, quae vinculum hoc ignorasse abunde satis ostenderit; hujus aliunde probatio et ex testibus, et simul ex documentis a libro baptismatis, ac matrimonii eliciendis inducitur (27). Nec tamen ipsa quoque ignorantia excusat penitus, simul ac, ut superius notavimus (28), in illicitis versatur actus, ideoque non se omnino justum credidit *Iudas*, cum nurum *Thamar*, ignarus licet, compressit (29): Verum, ubi ex invincibili errore usque eo deceptus vel mas, vel foemina fuerit, ut se legitime concubuisse putaverit, errore quidem illis analogo, super quibus nugatur *Boccaccius*, tunc sane poena decipientem manebit solummodo; neminem porro manebit, quoties par error utrinque intercesserit, sicut in nuptiis *Oedipi* cum matre *Iocasta* (30).

XXXVI. Incestus crimen, si nefarium excipias, decori potius morum, pariterque rationi politicae, quam solido indubio principio, quod ex sociali natura Hominis liquido

(27) *Paolett. loc. cit. in fin.*
(28) *Cap.* I. §. 10.
(29) *Genes. cap.* 38. *v.* 26, *Renazz. elem. jur. crim. lib.* I. *cap.* 8. §. 4. *n.* 2.
(30) Ut monuimus *lib.* I. *cap* I. §. 14.

fluat, firmitatem debet, ac robur (31), neque ex hoc, ut ait *Gundlingius* (32), externa turbatur tranquillitas: Hinc non raro ipsa Ecclesia, perpaucis exceptis gradibus, in id generis nuptiis indulgens connivet; atque hinc non unaquaeque species pari plectitur poena, sed plus, minusve pro majori, aut minori proximitate graduum, et qualitate incestus, qui scilicet aut jure Gentium, aut jure civili solum sit vetitus (33), vel cui non fornicatio tantum, sed aliud jungatur crimen, adulterium nempe, vel stuprum; hoc porro casu ex Romanorum Iure deportatione in insulam vindicabatur (34), non sine publicatione bonorum (35), adeo quippe, ut filii ex incestu nati nec ali quidem possent a Patre (36): Nefarium tamen incestum gravius etiam fuisse coercitum, capitali nempe supplicio, plerique putant; de hac poe-

(31) *Pufendorf. d. cap.* 1. §. 28., *Servin. legislat. crim. lib.* 1. *cap.* 4. *artic.* 2. §. 3.

(32) *De jure Nat. et Gent cap.* 26. §. 31.

(33) *Leg si adulterium §. stuprum ff. ad leg. Iul. de adulteriis.*

(34) *Leg. siquis viduam ff. de quaestionibus*; vel exilio, aut potius relegatione juxta *Gloss. in Novell.* 12. *cap.* 1.

(35) Hinc generaliter sublatam a *Iustiniano* fuisse patet ex *authentic. bona Cod. de bonis proscriptorum*, Majestatis excepto crimine.

(36) *Authentic. ex complexu Cod. de incestis, et inutilibus nuptiis.*

na loquitur *Cicero* (37), quae tamen ad Vestalium incestum, seu stuprum potius (38) referenda videtur, cujus vindicta spectabat ad Pontifices; et sane, cum „ de incestu ro„ gatione Peducea „ alibi idem *Cicero* loquitur (39), id juxta *Asconium* (40) ad Vestales pertinet, quarum, cum plures peccassent, unam solummodo damnaverat Pontifex, absolverat caeteras, ideoque a Tribuno *Sexto Peduceo* fuit accusatus. Ad Nos quod attinet, crimini huic *Florentinum Statutum* pecuniarias decreverat multas, sicut reliquis delictis id generis, cui derogatum deinde fuit, ut supra notavimus (41): Nunc autem ex vigente patria Lege (42) incestus relegatione in masculos plectitur, ergastulo in foeminas, duriore quidem in ascendentes, et descendentes, leviore in caeteros; graviores poenas indixerat *Codex Leopoldinus* (43), graviores etiam Edictum subsequens (44), praesertim in primae classis incestum, quem non

(37) *De Legibus lib.* 2 *cap.* 9. „ incestum Pon„ tifices supremo suppplicio sanciunto „.
(38) Ut notat *Legg. ad Matth. d. cap.* 6. *n.* 5.
(39) *De Natura Deorum lib.* 3. *cap.* 30.
(40) *In orat. pro Milone cap.* 12.
(41) *Cap.* 1. § 13. *not.* 68. 71.
(42) *D Leg.* 30. *August.* 1795. §. 20.
(43) §. 96.
(44) Lat. 11. *Octobr.* 1788.: Lenius tamen, quam masculos coerceri foeminas citatae patriae Le-

immerito, ut nefas immane, severe castigari apud inferos *Virgilius* cecinit (45).

CAPUT V.

De venere aversa.

XXXVII. Parem fere utriusque sexus inter Homines numerum provida Natura edidit, mutuamque infudit propensionem affectuum, et quasi impetum (1) ad semet ipsos renovandos in sobole, et nominis perpetuitatem sibi comparandam hoc pacto; sed usque eo vesana libido perduxit degeneres, ut summum hoc donum, ad conservationem a Natura largitum, ad destructionem turpissimo abusu converterent: Quid enim sibi vult

ges volunt, non secus ac lus commune; quod quidem eo magis obtinet, cum sexus imbecillitati additur interdum ille, qualiscunque sit, metus, qui ex reverentia manat: Caeterum, si vera vis intervenerit, solum vim faciens tenebitur juxta ea, quae supra notavimus.

(45) *Aeneid. lib.* 6.
Hic thalamum natae invasit, vetitosque hymenaeos;
Ausi omnes immane nefas . . . . .

(1) Omnibus incutiens blandum per pectora amorem
Efficit, ut cupide generatim saecla propagent.
Lucret. de rer. nat. lib. 1.

aliud, qui metas illius transgrediens ibi semen profundit, ubi radices agere nequeat (2)? Foedissimum peccatum hoc, adeo Naturae injurium, et ipsis invisum belluis (3), venerem aversam diximus, ideo quod retro vertitur ejusdem usus, atque, ut textus ait (4) „ mutatur in alteram formam, sexus perdidit „ locum, amor quaeritur, nec videtur „: Illud itaque insecuturi nunc, caeteras pariter insequemur injurias, et fraudes, quae simili pene modo ad caecam explendam libidinem Naturae fiunt.

XXXVIII. Cum puer corrumpitur, eique pudor aufertur, stuprum Romanum Ius dixit (5); hoc autem deinde, seu porro mas, sive foemina inverso ordine subagitetur (6), Scriptorum vulgus sodomiam vocavit, nomine a Sodomi incolis ducto, quos, et Gomorrhaeos pariter hujusmodi labe inquinatos, simulque universam regionem Deus consumpsit flam-

(2) Ita quidem *Plato de Legibus dialog.* 8. „ abstinendum igitur a maribus jubeo; nam qui istis utuntur, genus humanum dedita opera interficiunt, in lapidem seminantes, ubi radices agere quod seritur nunquam poterit „

(3) *Plat. loc. cit., Senec. in Hippolyt. act.* 3. *scen.* 3.
Ferae quoque ipsae veneris evitant nefas,
Generisque leges inscius servat pudor.

(4) *Leg. cum vir Cod. ad leg. Iul. de adulteriis.*

(5) *Leg. stuprum committit ff. eod.*

(6) *Paolett. d. lib.* 2. *tit.* 1.

mis (7): Atque hoc quidem nomine nonnulli crimen intelligunt, ubi intra vas expleta penitus libido fuerit; nam secus, pristinum stupri nomen in masculo retinere ajunt (8), licet non minus idcirco utroque in sexu perfectum sit, sicut caetera stupra, quae perpetrantur ordine naturali servato (9): Et quoniam istud etiam interdum relinquit utroque in sexu vestigia, exulcerationes nimirum, rhagadas, mariscas ficus (10), etc., propterea hic pariter ad crimen probandum in genere peritorum inspectio requiritur, eorum nempe, qui medicinam exerceant, vel chirurgiam, utcunque aliis quandoque ex causis hujusmodi mala originem trahere possint (11).

XXXIX. De hoc autem crimine aeque tenetur qui agit, quem paediconem, et patiens, quem pathicum dicunt (12), nisi forte

(7) *Genes. cap.* 18. 19.
(8) *Raynald. observat. crim. cap.* 21. §. 1. *n.* 159.
(9) *Sarn. prax. crim. cap.* 12. *n.* 43, *Renazz. elem. jur. crim. lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 2. §. 2. *n.* 3.
(10) His alludit *Iuvenal. sat.* 2.
. . . . sed podice levi
Caeduntur tumidae, Medico ridente, mariscae.
(11) *Teichmey instit. medic. legal. cap.* 4. *quaest,* 6
(12) Hinc *Martial. epigramm.* 89. *lib.* 11.
Paedicare negat Charisianus,
Causam cum modo quaererent sodales,
Ventrem dixit habere se solutum.
Hoc se coeno foedavisse mutuo *Neronem*, atque *Othonem* scribit *Sveton. in hujus vita cap.* 2.,

vel aetas obstet (13), vel metus ex reverentia manans, ut mitius propterea cum subagitatis agendum sit seu masculi, sive foeminae fuerint (14): Quod si vera vis interveniat, tunc solum vim facientem teneri explorati juris est, et supra notavimus pluries. Atque haec quidem de crimine propriam illius significationem secuti breviter monenda duximus, breviora etiam dicturi de reliquis actibus, quos, utpote pari foeditate inquinatos, sodomiticos vocant, ut quantum fieri potest pudicis auribus indulgeamus.

XL. Huc itaque pertinent qui cum bestiis coeunt, quod foedum nefas ipsis etiam salacissimis foeminis, ad exaggerandam fortasse magis invidiam rei, quam vere, *Juvenalis* objicit (15); huc pariter qui cadavera comprimunt, ut alio loco notavimus (16); huc masturbatores, qui nocturnam, ut ait *Horatius* (17), maculant vestem, quemad-

quem propterea pathicum vocat *Iuvenal. d. sat.* 2.
Ille tenet speculum pathici gestamen Othonis.

(13) Vid. *lib.* 1. *cap.* 1 §. 16.

(14) *Renazz. d. lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 2. § 7.

(15) *Sat.* 6.
. . . . mora nulla per ipsam,
Quominus imposito clunem submittat asello.

(16) *Lib.* 2. *cap.* 4. §. 20.

(17) *Sat.* 5. *lib.* 1.

modum *Ponticus* ille, quem acriter *Martialis* redarguit (18); huc illi, qui *Onan* filium *Iudae* imitati (19) venereum opus extra vas peragunt, vel induti membrana ita quidem sagaciter illud absolvunt, ut foeturae periculum foeminae evadant, periculum ipsi celticae luis, quae merita plerumque esse solet vagae veneris merces (20); huc tribades, quas idem *Iuvenalis* sale nigro, ac truci supercilio, nec immerito insectatur suo more (21); huc denique irrumatores, et fellatores, quorum spurcitiem refugit pudor, corvos quippe imitantur, si vera est vulgi opinio, quod haec animalia ore coeant (22): Praetermittimus incubam, et succubam cum Daemonibus vene-

(18) *Epigramm.* 42 *lib.* 9.
Istud, quod digitis, Pontice, perdis, Homo est.
(19) *Genes. cap.* 38. *v.* 9.
(20) *Renazz. d. part.* 2. *cap.* 6. §. 6.
(21) *D. sat.* 6.
Lenonum ancillas posita Saufeja corona
Provocat, et tollit pendentis praemia coxae:
Ipsa Medullinae frictum crissantis adorat;
Palmam inter Dominas virtus natalibus aequat.
Nil ibi per ludum simulabitur, omnia fient
Ad verum . . . .
(22) *Plin. natural. histor. lib.* 10. *cap* 12.; hinc *Martial. epigramm.* 74. *lib.* 14.
Corve salutator, quare fellator haberis?
In caput intravit mentula nulla tuum.

rem; haec enim commercia inter fabulas recensuimus alibi (23).

XLI. De pueri stupro apud Romanos primum Scantinia Lex caverat, cujus auctorem Tribunum *C. Scantinium* fuisse ajunt, qui *M. Marcelli* filium de stupro appellaverat, ut tradit *Valerius Maximus* (24); poena, quae pecuniaria fuerat (25), capitalis deinde juxta *Paulum* evasit, quod tamen intelligendum de stupro per vim patrato (26): Severiores in posterum successerunt Leges, et poenae, ignis fortasse juxta *Gothofredum* sub *Constantio*, et *Constante* (27), quemadmodum sub *Valentiniano* (28) Pentapolitanae regionis exemplo; ultimum porro supplicium *Iustinianus* indixit (29), quem hic quoque morem gessisse nimium foeminis, earum nempe indigentiis, *Simonius* conqueritur (30). A-

(23) *Lib.* 2. *cap.* 8. §. 38.
(24) *Lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 7.
(25) *Quintil. instit. orat. lib.* 7. *cap.* 5.; Vid. *Plutarch. in vita Marcelli.*
(26) *In leg.* 1. §. *ult. ff. de extraordinariis criminibus*, *lib.* 2 *sentent. tit.* 26. §. 12., *collat. Mosaic. et Roman. Leg. tit.* 5., et ibi *Pith.*
(27) *Leg. cum vir Cod. ad leg. Iul. de adulteriis, Gravin. de orig. jur. lib.* 3. *cap* 9.
(28) *Leg.* 6. *Cod. Theodos. tit. eod. apud Gothofred.*
(29) *Authentic. collat.* 6. *tit.* 5., *seu Novell.* 77.
(30) *D. part.* 2. *cap.* 7. §. 1.

pud Nos antiqua patria Lex (31), quae tamen exolevit deinde, pecuniariam, sicut Scantinia, statuerat poenam: Publicum opus ad vitam *Codex Leopoldinus* decrevit praeposterae veneri, vel cum bestiis, in masculos, ergastulum ad tempus in foeminas; privatum fustem caeteris venereis actibus huc spectantibus (32). Cum aeque Naturae injurius, et aeque generis propagationi adversus ille sit, qui praepostere, ut qui alio modo vetitae incumbit veneri (33), hinc non poterat non incurrere in oculos tanta in idem propemodum crimen differentia poenarum (34): Hujus caeteroquin progressus neque apud Nos pertimescendi sunt, neque apud caeteros Populos cultos, simul ac nulla instituta, vel usus eo possunt perducere (35), quemadmodum olim forte apud Graecos gymnastica nuditas (36), pariterque ubi Gen-

(31) *Lat* 24. *Ianuar.* 1513., quam refert *Cantin.* *post illustrat. Edict.* 8. *Iul.* 1542.
(32) §. 96. 100.
(33) Qui scilicet „et adversus, et aversus impu„ dicus est „ ut, alio licet sensu, scriptum legimus apud *Cic. de Orator. lib.* 2. *cap* 63.
(34) Vid. *Servin. legislat. crimin. lib.* 1. *cap.* 4. *artic.* 2. §. 4.
(35) *Montesq. esprit des Loix livr.* 12. *chap.* 6.
(36) Quidquid de honesto puerorum amore apud Graecos nonnulli scripserint *Gravin. loc. cit.*, alii profecto de eorum Bathyllis aliter sentiunt, atque hinc nomen graecae veneris peccatum in

tium Uxorum pluralitas alia pascua appetere jejunos masculos cogit. Haec singula probe perspiciens provida posterior Lex, quae nunc viget (37), distantes praeter modum poenas ita quidem admovit, ut non ultra exilium ad tempus in masculos, ergastulum in foeminas peccatum, quod sodomiam dicunt, sicut illud, quod perpetratur in bestiis, plecti unquam possit, nisi forte personae facta fuerit vis; tunc enim pariter vindicatur, ut stupra secundum ordinem naturalem violenter commissa: In caeteros autem sodomiticos actus privatum fustem retinuit; sapienti sane consilio, ne, ut ait *Renazzius* „ poenae causa pervulgata, turpi „ rumore Civitas universa dehonestetur„(38).

CAPUT VI.

De lenocinio.

XLII. Peccata, quae in criminum classem relata huc usque persecuti fuimus, ma-

vulgus nactum fuisse videtur; Vid. *Grot. de veritate Relig. Christ. lib.* 2. §. 14.

(37) *D. Leg.* 30. *August.* 1795. §. 21. 22.

(38) *D. part.* 2 *cap.* 8. §. 7.; atque hoc ipso consilio quaecunque haec peccata, vi absente, ad Politiae Magistratum remittere non absonum fortasse foret; vid. *id. Renazz. d. part.* 2. *cap.* 2. §. 7. *n.* 2.

gis, minusve punienda juxta eorundem effectus, plus nempe, vel minus ordini sociali, et publicae tranquillitati adversos, non adeo quidem frequentia forent, nisi caeco illi impulsui, quo mortales feruntur, stimulos interdum adderent infamium lenonum blandimenta, et illecebrae. Nomen scelesti istiusmodi a leniendo duxerunt, ideo quod animos leniant, permulceant, atque ita ad peccatum inducant; propterea crimen lenocinium dicitur, quo nomine stricte intelligimus alienae pudicitiae prostitutionem (1): Hoc autem, grave utcunque in se ipsum, gravius fit etiam quandoque ex circumstantiis.

XLIII. Et sane plus multo delinquit, qui sive mas, sive foemina prostituit virginem, quam qui eam, quae compressa jam fuerat; plus etiam, si nondum viripotentem puellam; ita pariter gravius crimen est prostituere uxorem alienam, quam innuptam, et liberam: Simili modo gravius, quam caeteri, delinquunt Mariti, qui Uxores, Parentes, qui Filias, Tutores, qui Pupillas, et quicunque sibi concreditas prostituunt foeminas, aut mares; id ipsum dicendum de prostituentibus famulis (2): Gravissimum por-

(1) Lucri, vel commodi causa committi crimen plerique in definitione addunt, quod tamen ad intimam illius naturam non pertinet *Creman. d. cap. 6. artic.* 8. §. 5.

(2) *Ad text. in leg. unica Cod. de raptu virginum.*

ro erit crimen ex notis juribus, ubi vis intervenerit (3).

XLIV. Nec autem solum qui leniunt, et ad peccatum alliciunt, sed illi pariter, qui scientes connivent, lenocinii argui possunt, simul ac persona, quae corpus alienae libidini subjicit, sub eorum sit potestate, vel eorum curae, custodiae, ac fidei quomodocunque commissa. Quin etiam hoc amplius ex Lege Iulia, quod, quamvis nulla scientia antecederet, non ideo erat impune pro comperto adulterio, vel stupro aliquid pacisci, et accipere, aut etiam dissimulare (4) patienter (5), aliud utcunque servetur hodie; nam, nisi scientia praecesserit, post factum transigere lenocinium non est, nec caeteroquin lucrum, aut lucri, vel commodi spes, quae tamen vix raro a crimine abest, ad illud constituendum ex jam notatis requiritur, quemadmodum neque ex ipsa patria Lege. Mitius tamen cum iis, qui simpliciter connivent, agendum erit; hi siquidem implicite magis, quam patenter prostituisse dicuntur: Mitius etiam, ubi de scientia non satis constiterit, ita quidem, ut potius culpa, quam dolus

(3) Haec singula ad poenam augendam probe perspexit *Cod. Leopold.* §. 101.

(4) *Leg.* 2., *leg. Mariti ff. ad leg Iul. de adulteriis*, *leg. auxilium ff. de minoribus.*

(5) Velut Maritus ille, de quo *Iuvenal. sat.* 1.

objici possit (6), qua porro culpa nunquam vacare *Sectanus* ait Matres, quae non, ut decet, continent Filias, earumque negligunt educationem (7).

XLV. Ex nuper citata Lege Iulia tenentur pariter qui domum, aut agrum ad stuprum, vel adulterium patrandum, aut ibi de eo conveniendum, etiam amicitiae gratia concesserint (8). Neque illi porro lenonis notam evadunt, qui exercentes cauponam, vel balnearia, ibi retinent scorta, ambubajas, aut alias id generis foeminas, quae corpore fa-

. . . . doctus spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso.

(6) *Raynald. observat. crim cap.* 27. §. 1. *n.* 59., *Creman. d. artic.* 8. §. 3: Verum in delictis hujusmodi culpam compescere, quae ex nimia plerumque credulitate manat, quaeque extra ipsius legis Iuliae rigorem est posita *d. leg. Mariti, leg.* 2. *Cod. eod.* Politiae videtur officium.

(7) *Sat.* 3. *lib.* 1.

Quae mala non peperit saevae indulgentia Matris?
Pro penso speculum tractat, festisque diebus
Inspectura procos pendet lasciva fenestris,
Et laudat cultos juvenes, laudatur ab illis;
Nec tantum genitrix audet compescere luxum:
Interea gemmas, et munera, pronuba amoris
Portat anus, duri pacantur munere postes,
Et sanctus pudor inde fugit . . . . . .

(8) *Leg. qui domum, leg etsi, leg. Mater ff ad leg. Iul. de adulteriis, d. leg auxilium ff. de minoribus, Matth. d. tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 15.

ciant quaestum (9); neque extra poenam est, qui domo, quam forte locaverat inscius, non expellit lenonem, statim ut ei cognitus fuerit (10): Etiam meretricum famuli, aut famulae de lenocinio tenentur, si, praeter servitia domestica, in illud incumbant insuper conquirendi dominis moechos (11), incautos praesertim adolescentes, quorum perniciem lenones esse nemo non videt, ut veritati obsequens ipse leno Terentianus fatetur (12).

XLVI. Actuum iterationem requiri, ut leno quis dici possit, nonnulli Iuris nostri Scriptores autumant (13), quasi ex natura criminis, qui semel tantum lenocinatus est, non plene, effectu licet sequuto, illud perfecerit, quo sane nihil absurdius (14); qui saepius lenocinatur, majori quidem dignus est poena, quam ille, qui semel, non secus ac qui saepius furatur; sed non ideo, qui una vice tantum in his peccaverit, nec leno erit, nec fur: Quin etiam tunc ille quoque erit leno, qui id omne praestitit, ut prostitutio conventa consequeretur effectum, frustratum

(9) *Leg. athlatas ff. de his, qui notantur infamia, leg. palam ff. de ritu nuptiarum.*
(10) *Authentic. collat.* 3. *tit.* 1., *seu Novell.* 14.
(11) *Raynald. d.* §. 1. *n.* 133.
(12) *In Adelph. act.* 2. *scen.* 1. „ leno sum, fa-„ teor, pernicies communis adolescentium „
(13) *Farinac. quaest.* 144. *n.* 35., *Angel. de delictis part.* 1. *cap.* 82. *n.* 16., *et alii.*
(14) *Renazz. d. part.* 2. *cap.* 4. §. 3. *n.* 2.

licet ex causis non satis praevisis; quae enim de voluntate peccandi ad actus externos perducta monuimus alibi (15), huc pariter pertinent, mitius utcunque puniendus hoc casu sit leno, quippe qui reus meri conatus (16).

XLVII. Quoniam lenocinio quandoque jungitur crimen, quod vestigia relinquit, stuprum videlicet, ideo sive mas hoc patiatur, seu foemina, de vestigiis hujusmodi constare debebit juxta ea, quae superius notavimus (17): In caeteris quoque idem servandum erit, si forte vis adhibita fuerit ita quidem, ut ipsa pariter vestigia reliquerit; vis enim, non secus ac stuprum, lenocinii crimen summopere adauget ex ipsa patria Lege.

XLVIII. Aeque porro lenocinari, et poena lenocinio statuta puniendos esse eos credimus, qui, sicut foeminas, prostituunt mares (18); quandoquidem crimen hoc infame est mercimonium humanae carnis, pudoris eversio, corruptio morum, atque id totum et mares, et foeminas respicit pariter. Caeterum vero lenocinii crimen tale est per se ipsum, ideoque tunc etiam poenae subjici-

(15) *Lib.* 4. *cap.* 1. §. 6.
(16) *Caball. resolut. crim. cas.* 171. *n.* 15., *Renazz. d. cap.* 4. §. 1. *n.* 3.
(17) *Cap.* 2. §. 19., *Paolett. d. lib.* 2 *tit.* 2.
(18) Aliter sentit *Paolett. loc. cit.*

tur, quando nil aliud leno praestiterit, quam locum concedere, et commodum peccare volentibus, et illud quaerentibus: Magis quidem, vel minus plectendum erit juxta qualitatem admissi, sed non illius idcirco natura immutabitur, ut quasi mera consideretur accessio ad alterum crimen, quod inde subsequitur, quemadmodum olim apud Romanos considerabatur (19).

XLIX. Atque hinc ad poenam distinctam quod attinet, si excipiamus infamiam (20), nihil statutum legimus Romae contra lenones (21) ante *Tiberii* tempora, qui primus (quod sane mirum) exilio multari eos jussit, ut testatur *Svetonius* (22): Verum haec poena cito exolevit sub Successoribus, nec usque ad Imperatores Christianos lenocinii licentia, quae jam bacchabatur ut antea, repressa fuit. *Iustinianus* praesertim adver-

(19) *D. leg. qui domum, Gloss. in leg. is cujus ff. ad leg. Iul. de adulteriis, Simon. d. part.* 2. *cap.* 8. §. 2.

(20) *Leg.* 1. *ff. de his qui notantur infamia, Boehmer. d. sect.* 2. *cap.* 30. §. 321.; hujusmodi infames omnibus fere vacabant juribus, quae communia erant caeteris integrae frontis civibus *Heinec. ad leg. Iul. Pap. Popp. lib* 2. *cap.* 2. §. 12, *Valer. Maxim. lib.* 7 *cap.* 7 *in fin.*

(21) Lenocinari etiam apud Hebraeos nefas *Levitic. cap.* 19. *v.* 29., *Deuteronom. cap.* 23. *v.* 18.; poena porro ignoratur.

(22) *In vit. Tiber. cap.* 35.

sus lenones exarsit, *novissima supplicia* decernens (23), ultimum nempe supplicium juxta nonnullos (24), deportationem, aut exilium secundum alios, pro modo fortasse admissi (25). Apud Nos vigens patria Lex, nihil de quaestu lenonum sollicita, in crimen hoc prima vice commissum publicum fustem, et simul exilium statuit; non immerito in recidivos severior publico opere ad tempus plecti voluit masculos, ergastulo foeminas; atque hanc ipsam poenam lenocinio, prima licet vice commisso, in Parentes decrevit, in Maritos, in proximos, in domesticos, pariterque in Tutores; plus quidem augendam, si virgo; plus etiam, si nondum viripotens, vel quaelibet alia per vim compressa fuerit (26).

CAPUT VII.

De libello famoso.

L. Expediti tandem a coeno, quo illaqueati jam dudum fuimus, non multo meliora quidem, sed certe, quae minus au-

(23) *D. Novell.* 14.
(24) *Matth. d. tit.* 3. *cap.* 2. *n.* 11., *Boehmer. d. cap* 30. §. 321, *Renazz d. cap.* 4. §. 4. *n.* 2.
(25) Vid. *Creman. d. artic.* 8. §. 8.
(26) *Cod. Leopold.* §. 101.

res offendant pudicas, nunc pertractare aggredimur. Libellum itaque famosum insequemur hoc capite; hunc autem scripturam dicimus in vulgus editam, qua crimina capitalia, vel gravia alicui objiciuntur ad illius infamiam (1): Ex definitione satis apparet, non omne quodcunque, quod objicitur, crimen libellum famosum constituere, ut actio exerceri possit hoc titulo, sed tale, quod vel ratione poenae, qua coercendum esset, vel ex criminis ipsius natura irrogaret infamiam: Pervulgata porro esse debet scriptura, et quidem infamandi animo, neque incerta persona, cui crimen objicitur, sed vel nominatim expressa, vel ita saltem descripta, ut facile ab omnibus dignosci possit.

LI. Hac autem actione quisquis infamandi animo libellum pervulgaverit aeque tenetur (2), ac si auctor ipse id fecisset; hic caeteroquin de conatu solummodo teneri poterit, si, eo inscio, pervulgatus ab altero fuerit, qui forte vel intercepit libellum, vel amissum invenit (3): Seu porro libelli auctor subscripserit, seu latere curaverit ementito, vel penitus suppresso nomine, id nihil inter-

(1) *Paolett. instit. crim. lib.* 5. *tit.* 1., conf. *Renazz elem. jur. crim. lib.* 4 *part.* 4. *cap.* 10. §. 1.

(2) *Leg. unica Cod. de famosis libellis.*

(3) *Creman. d. lib.* 2. *cap.* 7. *artic.* 7. §. 8.

est, neque suppressio nominis, quam ex eo fortasse, quod communiter evenit, nonnulli requirunt, criminis immutat naturam; nam secus, melior illius esset conditio, qui temere, et impudenter infamat (4).

LII. Perinde pariter esse plerique contendunt seu falsum, seu verum sit crimen, quod in libello objicitur, ideo quod qui verum objectat infamare maluerit, quam accusare (5): Alii contra, quos inter *Matthaeus* (6), verum crimen objicere etiam extra judicium impune esse volunt juxta ipsam *Pauli* sententiam (7), ea ducti ratione, qua *Paulus*, quod scilicet Reipublicae intersit peccata nocentium nota omnibus esse, adeo quidem, ut publicae indignationis metu caeteri contineantur (8); hoc tamen sic accipiendum *Si-*

(4) *Paolett. d. tit.* 1., *Renazz. d.* §. 1.

(5) *Leg.* 1. *et seq. Cod. Theodos. sub tit. de famosis libellis apud Gothofred.*, *Brunnemann. in leg. unica Cod. eod*, *Carpzov. pract. crim. quaest.* 98. *n.* 44., *Boehmer. d sect.* 2. *cap.* 6. §. 93, *Covarruv. variar. resolut lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 6., et alii praesertim vero Theologi.

(6) *Ad. lib.* 47. *ff. tit.* 4. *cap.* 1. *n.* 7. 8.

(7) *In leg.* 18. *ff. de injuriis*, *et famosis libellis* ,, Eum, qui nocentem infamavit, non esse bo- ,, num, et aequum ob eam rem condemnari. ,,

(8) *Servin. legislat. crim. lib.* 1. *cap.* 5 *artic.* 2. §. 4., *Filanger. scient. legislat. lib.* 3. *cap.* 54. Hinc *Horat. sat.* 1. *lib.* 2. *in fin.*

. . . . siquis

monius addit (9), ut non ideo infamare eum liceat, qui poenitens ad meliorem se receperit frugem, atque ita praeteriti erroris memoriam deleverit: *Constantini* porro Legem nihil obesse *Matthaeus* notat, quippe quae non relata in *Iustiniani* Codicem, dum interim in ipso Codice exstat *Valentiniani*, et *Valentis* Edictum (10), quo laude quin potius, et praemio dignus dicitur ille, qui objectum aperte crimen verum esse probaverit, capitaliter secus puniendus, vel actione calumniae juxta antecedens *Diocletiani*, et *Maximiani* rescriptum (11): In hoc opinionum conflictu id statuendum videtur, ut atrox, et adhuc occultum crimen, quod notum esse maximopere intersit Reipublicae, impune sit in libello objecisse, quicunque illius, qui objecit, fuerit animus; non aeque tamen caetera ad infamiam objicere crimina, utcunque gravia (12).

LIII. Sicut qui infamandi animo libellum aut scripsit, aut typis impressit, et pervul-

Opprobriis dignum latraverit, integer ipse;
Solventur risu tabulae; tu missus abibis.

(9) *D. part.* 2. *cap.* 9. §. 8.: Id ipsum etiam ad eos quod attinet, qui poena expiaverint crimen, praecipit *Cod. Leopold.* § 57.

(10) *In d. leg. unica Cod. de famosis libellis.*

(11) *In leg. si non convicii Cod. de injuriis.*

(12) *Gomez. variar. resolut. de delict. cap.* 6. *n.* 2., *Clar.* §. *injuria n.* 15., *Gothofred. in d. leg.* 1. *Cod. Theodos.*, *Renazz. d. cap.* 10. §. 2.

gavit, actione libelli famosi tenetur, ita hoc idem de pictura famosa dicendum esse plerique volunt (13); quin etiam sculptile, et fusorium opus nonnulli addunt (14), quatenus hoc, non secus ac pictura, aperte satis personam designet, quam quis infamare simili modo sibi proposuit; aliter enim hujusmodi imagines mutae, sive poemata tacita (15), utpote nemini speciatim injuria, famosi libelli instar considerari nequaquam possent: Nec autem propterea impune erit quidquid hujusmodi edere, aut alibi editum proferre in publicum, quod vel Religioni adversetur, vel ordini, quo societas regitur, vel bonis moribus; quin imo severe apud Nos haec facinora juxta eorum qualitatem vindicabuntur (16).

LIV. Nullam executionem esse, cum incertae personae convicium fit, scripsit *Ulpia-*

(13) *Ad text. in leg.* 5. §. *siquis ff. eod. Boehmer. d. cap.* 6. §. 90. 93., *Raynald. observat. crim. cap.* 11. §. 1. *n.* 3., *Clar.* §. *final. quaest.* 68., *Sarn. prax. crim. part.* 2. *formul.* 10. *n.* 12., *Muscatell. prax. crim. de injuriis n.* 11., *Farinac. consil.* 30. *n.* 10.

(14) Vid. *Creman. d.* §. 8.

(15) Ita *Auct. rhetoric. ad Herenn. lib.* 4. *cap.* 28.; picturam ad facti injuriam, non scripti *Matth.* revocat *d. cap.* 1. *n.* 1.

(16) Vid. *Leg.* 8. *Ianuar.* 1709., 28. *Mart.* 1743., 30. *Ianuar.* 1793, 30. *August.* 1795. § 9., sicut quae diximus *lib.* 2. *cap.* 1. §. 7. *et in not.*

„ generalem de vitiis disputationem in suam
„ referunt contumeliam. „

LV. Nulla pariter est executio, et actio deficit, cum quis non infamandi animo, sed ad sui defensionem in Iudicio, et elevandi testimonii gratia, ut ait *Matthaeus* (21), testi objicit crimen, quod verum esse probare possit, vel cujus indubiam sententia praecedens faciat fidem: Aliter autem neque ipsa honoris praefatio prodesse illi potest, qui falsum ad se defendendum objicit crimen (22), sicut nec illi, qui verum quidem objecit, sed extra Causae opportunitatem (23); quemadmodum enim ad Causarum Patronos, ad caeteros quoque omnes aeque pertinet, et referendum est aureum hoc Imperatorum praeceptum (24) „ Universi Advocati ita prae-

addit, ut singulis exemplo sint, refeire juverit „ Ego enim neminem nominabo, nec ve-
„ teris comoediae licentia certas personas eligam,
„ atque perstringam; prudentis viri est, ac pru-
„ dentium foeminarum dissimulare, imo emenda-
„ re quod in se intelligunt, et indignari sibi ma-
„ gis, quam mihi, nec in monitorem maledicta
„ congerere. „

(21) *D. cap.* 1. *n.* 7., *Bonfin. ad bannim. cap.* 26 *n.* 33., *Gratian. discept forens. cap.* 81. *num.* 5.

(22) *Creman. d. artic.* 7. §. 6.

(23) Vid. *decis. ann.* 1780. *in Liburnens. contra Garganum, et alios.*

(24) *In leg. quisquis Cod. de postulando.*

„ beant patrocinia jurgantibus, ut non ultra, „ quam litium poscit utilitas, in licentiam „ conviciandi, et maledicendi temeritatem „ prorumpant. „

LVI. Famosi libelli poenam apud Romanos capitalem fuisse patet ex Lege Decemvirali, quam refert *Gravina* „ si qui carmen „ occentassit, quod alteri flagitium faxit, „ capital esto „, vel juxta *Gothofredum* „ „ si qui pipulo occentassit, carmenve condi- „ dissit, quod infamiam faxit, flagitiumve „ alteri, fuste ferito „, et quidem ad necem usque (25). Poetarum licentiam apud Graecos in more, atque etiam in laude fuisse quodammodo *Horatius* testatur (26), qua tandem repressa, et coercita, nova inducta fuit comoedia, in eaque *Menander* maxime floruit; sed multo ipsi lenius coercuerunt licentiam hanc (27), utcunque et Romani a

(25) *Gravin. de orig. Iur. lib.* 2. *cap.* 55. ; Huic poenae alludit *Horat. epist.* 1. *lib.* 2.

. . . . quin etiam Lex,
Poenaque lata, malo quae nollet carmine quenquam
Describi, vertere modum formidine fustis.

(26) *Satyr.* 4. *lib.* 1.

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque poetae,
Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,
Siquis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.

(27) *Gravin. loc. cit.*

rigore Decemvirali paulatim recesserint relegationem substituentes (28); rigorem pristinum revocaverunt deinde *Valentinianus*, et *Valens* (29), qui tamen ad solos libellos anonymos in Magistratus Provinciarum vulgatos referendus videtur (30). Ex Legibus nostris criminis poena non ultra relegationem extenditur; auctor insuper ad publice recantandum quod vulgaverat cogitur, sive ad palinodiam (31), quae, quamvis moribus, et usu Fori introducta postmodum, ut observat *Matthaeus* (32), non tamen ignota penitus Romanis fuerat (33).

CAPUT VIII.

De reliquis injuriis.

LVII. Quidquid non jure fit, injuria generaliter dicitur (1), ideoque nomen hoc

(28) *Paul. lib. 5. sentent. tit. 4. §. 17.*
(29) *In leg. unica Cod. de famosis libellis.*
(30) *Gothofred. in Cod. Theodos. leg. 7. sub. tit. de famosis libellis, Legg. ad Matth. d. tit. 4. cap. 2. n. 5.*
(31) *Cod. Leopold. §. 63 73., Leg. 30 August. 1795. §. 11.:* Vid. quae diximus. *lib. 2. cap. 10. §. 53.*
(32) *D. tit. 4. cap. 3. n. 7.*
(33) *Leg. 5. § hac lege ff. de injuriis, et famosis libellis: Terent. in Adelph. act. 2. scen. 1..*
. . . . dabitur jusjurandum, esse te
Indignum injuria hac. . . . . . .
(1) *Ulpian. in leg. 1. ff. de injuriis.*

latissime sumptum ad singula quaeque, et quidem innumera, quae contra jus peraguntur, referri potest: Speciatim vero contumeliam hic intelligimus, quae bonis adversa Civitatis moribus alicui infertur (2), nec aliud proprium criminis nomen prae se fert. Haec autem injuria triplici modo fit; re nempe, verbis, aut scriptis: De injuria, quae scriptis infertur, quatenus delictum publicum, superiore capite egimus; quatenus vero privatum, cum scilicet „ quid, praeter capi„ tale, vel grave crimen, alteri ad contu„ meliam objicitur, et ejus opinio laeditur„ (3), singula, quae ibi notavimus, huc aeque conveniunt; atque hinc, cum de ea nil aliud dicendum remaneat, de injuria re, aut verbis illata, quatenus ipsa quoque delictum privatum est, ut erat ex Romanorum jure (4), dicendum hoc capite superest.

LVIII. Re porro injuriam fieri dicimus, cum quis vel pulsatur, vel manus, aut quid aliud, adversus eum quasi vapulaturum levatur (5); haec vero injuria, sicut leves inde juxta Periti judicium personae laesiones tunc solum ex Legibus nostris privatum sunt crimen, cum rixa interfuerit, et cum nil a-

(2) *Matth. d. tit.* 4 *cap.* 1. *n.* 1.
(3) Ita *Paolett. d. lib.* 5. *tit.* 1
(4) *Leg. licet § ad actionem ff de procuratoribus.*
(5) *Leg. item apud Labeonem ff. eod.*

liunde ad crimen exaggerandum accesserit (6); nam secus, publica succedit actio, et gravior poena, ut notavimus pluries (7). Dolus autem, injuriandi scilicet animus, non secus ac in injuria scripta, hic requiritur pariter; ideoque crimine vacat Praeceptor, qui ad correctionem sine excessu discipulum verberat, et generaliter quicunque jure suo utitur (8), aut jus exequitur (9): Quandoque ipse etiam dolus compensatur cum dolo, ita quidem ut nemini Praetor succurrere debeat (10); atque hinc, ubi agatur de minimis, par pari in subita rixa inter aequales exorta referre, alapam nimirum alapae, colaphum colapho, calci calcem, levem ictum verberis verberi, saxi saxo, extra Legis rigorem videtur, et negligi potest a Iudice, quod idem dicendum de injuria, quae verbis infertur (11).

LIX. Ita quoque re fit injuria, cum quis conspuitur, luto inquinatur, aut stercore; cum poculo illius mens alienatur, ut caeteris ludibrio sit; cum ad illius invidiam lugu-

(6) *Cod. Leopold.* §. 3. 72., *Leg.* 30 *August.*. 1795. §. 16. 17.

(7) *Lib.* 2. *cap.* 10. §. 53., *cap.* 12. §. 65., *lib.* 3. *cap.* 3. §. 29., *cap.* 5. §. 43., *et alibi.*

(8) *Leg. nullus ff. de regulis juris*, *Dolf. allegat.* 132. *n.* 28.

(9) *Leg. injuriarum ff. de injuriis.*

(10) *Leg final.* §. *sed si ff. de eo, per quem factum erit*, *leg. si duo ff. de dolo malo*.

(11) *Math. d. cap.* 1. *n.* 9.

bri, aut squalida veste quis utitur, barbam demittit, capillos submittit, vel quid aliud bacchanalium praesertim tempore fingit; cum gestu, aut actu obsceno quocunque, vel digitis in cornuum formam protentis, vel cornibus ipsis affixis domui (12) in notam, ac dedecus alicujus intendit; cum appellat matronam, aut virginem, blanda nempe oratione illius pudicitiam attentat, abducit comitem; cum aedes alienas temere ingreditur; re sua uti, fruique publico jure aliquem impedit; fidejussorem idoneum accipere negat, aut, debitore parato solvere, interpellat fidejussorem; et caetera ejusmodi, quae singula enumerare supervacaneum est, cum similium eadem ratio, idemque judicium sit(13).

(12) Duplex ille radius, quo *Moyses* descendens ex monte fulgebat *Exod. cap.* 34. *v.* 29., quomodo progressu temporum ad Mariti ignominiam significandam propter adulteria Uxoris conversus ab usu fuerit, non satis patet: Cornutum, quasi Conjugis cor nudum sit, interpretantur nonnulli *Raynald. observat. crim. cap.* 11. *supplet.* 2. *n.* 28.; num forte a curruca, avicula quae filios non suos alit? *Aristotel. de histor. animal lib. 6 cap.* 7., *Matth. d. cap.* 1. *n.* 1., *Iuvenal. sat.* 6.

. . . . tu credis amorem,
Tu tibi tunc, curruca, places . . . .

(13) *D. leg.* 1., *leg. injuriarum*, *leg. item apud Labeonem*, *leg. si creditor*, *leg. qui in domum ff. de injuriis, leg.* 1. *ff. de extraordinariis cri-*

LX. Verbis injuria fit, cum probrosum aliquid ad contumeliam de altero absente, aut praesente dicitur, veluti si fur appelletur, fraudulentus, adulter, etc., quod quidem, si in coetu, et cum vociferatione fiat, convicium (14), secus maledictum vocatur (15). Haec autem injuria in eo solum differt a scripta, quod minorem gravitatem prae se fert; verba siquidem, ut ait *Renazzius* (16) „cito labuntur, celerrime volant, scripta propagantur facillime, et perpetuo manent „. Injuria pariter est, cum quid contra pudorem recitatur, vel canitur more Fescenninorum, castis praesertim auribus, virginibus nempe, vel pueris, quorum animi imbecilles, et insolentes flagitii corrumpi facile possunt (17).

minibus, *Matth. d. cap.* 1. *n.* 1., *Creman. d. artic.* 7. §. 2., *Renazz. d. part.* 4. *cap.* 9. §. 2.

(14) *D. leg. item apud Labeonem* „ cum enim in „ unum plures voces conferuntur, convicium appellatur, quasi convocium. „

(15) Etiam cum quis defuncti famam lacessit, verbis injuriam facere haeredibus dicitur *d. leg.* 1. *ff. de injuriis*, sicut re facit si illius statuam saxis extra monumentum caedit *leg. si statua ff. eod*; in monumento enim, sepulcri violati actio succederet *Gloss. in d. leg. si statua*.

(16) *D. part.* 4. *cap.* 10. §. 1., *Raynald. observat. crim. cap.* 11. §. 4. *n.* 34.

(17) *D. leg. item apud Labeonem*, *Creman. d. artic.* 7. §. 3. *not.* 2.

LXI. Ipsa etiam fortunae, aut naturae vitia, quibus quis forte laboret, ad irrisionem, et contemptum objicere aeque erit injuria; periniquum est enim ea mala, et incommoda, queis Divino beneficio quis caret, illi exprobrare, qui nulla sua culpa eisdem affligitur, ex quo porro illud fit, ut irritatus vindictam anhelet (18): Quod si non consulto, nec irridendi animo, non cum vociferatione, et in coetu, non saepius, neque personae, quae in dignitate sit posita, id factum fuerit, prudentiae Iudicis erit statuere, utrum praetermittenda, an leviter animadvertenda hujusmodi sit contumelia (19). Neque ipsa quidem incommoda, et mala, quae quis ex fragilitate humana contraxit, impune erit ad injuriam objicere (20), nec ea pervulgare, ubi praesertim non adhuc sint nota; ideoque non leviter, haec pervulgando, delinquunt Obstetrices, et Medici, simul ac inde jacturam nominis faciant personae, quarum incommoda sublevare secreto, aut mederi susceperant.

LXII. Injuriae, de quibus hactenus dictum est, ad crimina privata pertinent: Verum, utcunque ex earum natura leves, graves tamen fieri poterunt, et publica actione

(18) *Renazz. d. part.* 4. *cap.* 9. §. 3 *n.* 3., *Creman. d. artic.* 7. §. 3.
(19) *Matth. d. cap.* 1. *n.* 3.
(20) *Id. Matth. loc. cit. n.* 2.

vindicandae non solum ratione personae, ut notavimus pluries, sed loci, ac temporis pariter, cum scilicet quid hujusmodi admittitur vel ipsa in Ecclesia, vel extra quo tempore quid Sacrum peragitur, vel in Aula, Foro, Theatro, Palaestra ludorum tempore, vel ante Praetorem, et Magistratum; quin apud ipsum neque cum armis incedere licitum est (21), nisi forte pars vestimenti quodammodo sint, ut sunt in personis, quae excellunt dignitate, aut officio. Simili modo ratione loci grave dicimus crimen. cum simul rixantur, et se invicem lacessunt, et laedunt qui detinentur in carcere, aut in operibus publicis, ut poenam persolvant.

LXIII. Pecuniaria ex Legibus Decemviralibus fuerat apud Romanos injuriae re illatae poena, atque ipsa quidem adeo vilis, ut *L. Neratius*, homo egregie improbus, ad lasciviam illos percuteret, qui sibi essent obviam, eisque per servum, quem secum pecunia onustum ducebat, poenam illico solveret (22): Si tamen membrum aliquod ruptum fuisset, nec reus pactione redemisset

(21) *Leg. qui dolo ff ad leg: Iul. de vi publica, leg. Praetor edixit §. final. ff. de injuriis, §. atrox instit. eod., Sabell. in summ. §. arma n. 6., Farinac. quaest.* 108. *n.* 45., *Raynald observat. crim. cap.* 24. §. 7. *n.* 40.

(22) *Gravin. de orig. Iur lib.* 2. *cap.* 56, ubi legem refert ex *Gell. noct. attic. lib* 20. *cap.* 1.

poenam, haec erat talionis (23), atque ita quidem, ut qui monoculo alterum excussisset oculum, utrumque ipse amitteret, quam Legem Decemviri a *Solonis* Legibus duxerant, hic autem fortasse ab Hebraeis (24), tametsi rigida nimium interpretatione (25); in leviores vero laesiones pecuniaria, quam diximus, poena augebatur juxta personas ad asses usque trecentos: Has autem poenas Praetor abolevit deinde, et aestimationem injuriae mandavit Iudicibus, quos propterea Recuperatores vocabant, atque hinc actionis aestimatoriae origo (26); sed quoniam ad continendam licentiam, et petulantiam Romanam, quae propter bella civilia invaluerat, haec actio visa fuit impar, ideo *Cornelius Sylla* Dictator novam tulit Legem de injuriis, qua et criminale Iudicium inductum fuit, utcunque non satis de poena, quam statuit, constet; pecuniariam hanc quoque fuisse *Matthaeus* putat (27), exilii, atque etiam graviorem alii juxta qualitatem injuriae (28):

„ Si qui injuriam alteri faxit, XXV. aeris poenae „ sunto. „

(23) *Gravin.*, *et Gell. loc. cit.*; Vid. *Diodor. Sicul. histor. lib.* 12. *cap.* 17.
(24) *Exod. cap.* 21. *v.* 24., *Levitic. cap.* 24. *v.* 20.
(25) *Pufendorf. de Iur. Nat. et Gent. lib.* 8. *cap.* 3. §. 27., *Heinecc. antiquit. Roman. lib.* 4. *tit.* 4. §. 3., *Matth. d. tit.* 4. *cap.* 2. *n.* 3.
(26) *Gravin.*, *et Heinecc. loc. cit.* §. 5.
(27) *D. cap.* 2. *n.* 4.
(28) *Heinecc. d. tit.* 4. §. 8. 9.

Iustinianus postea de injuria quaecunque actionem eligere illam passo concessit, qui propterea poterat „ vel civiliter agere, vel cri-„ minaliter „ quo casu arbitrio Iudicis reliquit poenam (29), ideoque et pecuniariam, atque etiam diversi generis pro modo admissi ipse Iudex decernere poterat (30). Patria nostra Lex injuriis, de quibus hoc capite egimus, pecuniariam constanter indixit poenam a libellis hetruscae monetae viginti quinque ad ducentas, intra quam latitudinem proportionem ex circumstantiis taxare officium Iudicis erit; major enim injuria est, quae publice infertur, quam quae privatim; quae domi, quam extra; quae foeminae a masculo, seni a juvene, nobili genere nato a plebejo (31), quam versa vice: Reus insuper, qui verbis, aut scriptis injuriam intulerit, ad publicam retractationem, instante actore, tenetur (32): Quaecunque porro injuriae sit species, actionem hoc titulo exer-

(29) §. *in summa instit. de injuriis.*
(30) *Vinn. in instit. lib.* 4. *tit.* 4. §. 10.
(31) Multae proportio disparilitatem quodammodo adaequare potest, quam *Filangerius* objicit *scient. legislat. lib.* 3. *cap.* 52: Huc accedit, quod humilis vix raro est solvendo, ideoque, carcere multam compensare coactus ex Lege, poenam illam subit, quae *Filangerio* magis fortasse arrideret hoc casu.
(32) *Cod. Leopold.* §. 72. 73.: De levissimis tamen injuriis Politiae Magistratus cognoscit.

cet legitime illam passus, Pater, et quilibet alius familiae, ad quem ipsa injuria referri possit (33).

Haec habui, de ingrata materia quae scriberem, primum et septuagesimum agens aetatis annum; non ea quidem fuerat meis viribus aequa, ideoque *Horatii* monitum (34) sprevisse fateor, qui non perpenderim, quid ferre valerent humeri, quid potis essem peragere: Peregi tamen, et bona profecto fide; si non qua elegantia volueram, voluisse sit satis.

(33) *Cod. Leopold.* §. 3; conf. §. *patitur autem, et seq. instit. de injuriis*, ubi *in fin.* illud notandum, dissimulatione aboleri actionem; vid. etiam *leg. non solum ff. eod.*

(34) *De art. poetic.*

FINIS LIBRI V. ET ULTIMI.

TABULA GENERALIS
LIBRORUM ET CAPITUM

LIBRI I.

CAPUT I.

LIBRI II.

LIBRI III.

LIBRI IV.

LIBRI V.

INDEX

RERUM ET VERBORUM

Major numerus Librum, minor paginam notat.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

R

S

V

FINIS.